* DIVITIARUM, ET DIVITUM HIEROGLYPHICA.

A Hominem, qui modò divitiis affflueret, modò rerum inopia premeretur, varioque eventu fortunæ volubilitatem jacturis, & donis experiretur, ſignificare qui vellent, pro hieroglyphico, *Pavonis* tantùm *caudam* facere conſueverunt, caudam is ſiquidem ſingulis annis cum primis arborum frondibus amittit, cumque eorumdem germine recipit. *Pier. Val. lib. 24.*

Virum verò, qui opulentiſſimas divitias prodegerit, & ut apud Horatium eſt, res maternas, atque paternas fortiter abſumpſerit, ſignificare qui volunt, *Gallinam* aureos nummos depaſcentem pingunt: de qua miraculum id proditur, ut ſi auro liqueſcenti Gallinarum membra miſceantur, illud in carnes eas conſumi deprehendatur, atque ita fit, ut Gallina ſit auri venenum. *Ibid.*

Hieroglyphicè paſſim loquitur Evangelium, ut ad hanc ſententiam *ſemen* ait, *inter ſpinas* concidiſſe, unde anxiæ divitiarum curæ ſignificantur. Sed durum fortaſſe videatur, divitias per ſpinarum vocabulum intelligi: niſi Dominus noſter
B JESUS-CHRISTUS, qui eo uſus eſt hieroglyphico, dictum ipſe ſuum explicuiſſet. *Idem l. 5.*

* Divi.

QUI DICTI?

☞ *Conſule Titul. de Nominum impoſitione. Inter Divos relati. Vide tit. Honoris. Puta Divini honores hominibus tributi. Item locum de Canonizatione.*

OLim Imperatoribus Divi cognomen tributum, ut conſtat ex veteribus Inſcriptionibus, & nummis. *Iſid. in Gloſſis* dicit, Imp. is Divus dicitur, qui poſt mortem nomen Dei accepit. Quin apud varios ſcriptores, Deus pro Divo legitur, & meminit Cyrillus, Rom. olim Imperatores ſuos appellaſſe Deos, & aras conſtruxiſſe. *Lactant. lib. 1. c. 15.* Apud Romanos Deus Julius, quia hoc ſcelerato placuit Antonio. Deus Quirinus, quia id paſtoribus viſum fuit.

CARACALLA cùm Getam fratrem necari juſſiſſet, & alii inſtarent, ut ſaltem Divi nomen conſequeretur: Sit, inquit,
C ille Divus, modò non ſit vivus. *Spartanus.*

Nunc etiam apud Chriſtianos, nomen Divi, Imperatoribus, & maximis regibus datur, cujus rei fidem faciunt inſcriptiones innumeræ: fortaſſis, quòd velut Dii in terris, nullo indigeant, & dominentur: vel quod miniſtri ſint divinæ juſtitiæ, & religionis vindices: nec enim eſt poteſtas, niſi à Deo, adeòque Deum velut repræſentent.

* Divortium.

REPUDIUM.

DEFINITIO, ETYMOLOGIA, & ACCEPTIO.

DIvortium, Græcè διχόνια, & διχοτομία, in duas partes divido dicitur. Et eſt propriè matrimonii diſtractio. Et (ut ait Modeſtinus) divortium inter virum, & uxorem fieri dicitur: repudium verò ſponte remitti videtur, quòd in uxoris perſonam non cadit.

D Cæterum divortium, ex *Juriſconſ. l. 2. ff. de divort.* dicitur, vel à diverſitate mentium: vel quia in diverſa eunt, qui matrimonium diſtrahunt.

Dupliciter autem accipitur Divortium. Primò, ut importat diſſolutionem matrimonii quoad thorum, cohabitationem, eſtque ea communis acceptio Theologorum. Secundò prout etiam importat diſſolutionem quoad vinculum. In qua acceptione utuntur hac voce Juriſc. ut conſtat ex *text. ff. de divort.* & diſtinguunt à Repudio, quòd illud ſit ſolius uxoris: hoc verò etiam ſponſæ de præſenti nondum cognitæ, *l. inter ſtuprum 91. & l. inter divortium 191. ff. de verb. ſign.*

DIVORTII GENERA APUD ROMANOS.

Tripliciter apud Romanos connubia diſſoluta, refert *Roſinus lib. 5. Antiquit. Rom. cap. 38.* & *Revard. comm. XII. Tab. cap. 19.* videlicet uſurpatione, diffarreatione, & remancipatione.

Uſurpatione, quia mulieres in poteſtate parentum, vel tutorum erant, idcirco uxor nondum uſucapta, ante annum à marito recedens uſurpabatur: hoc eſt, à parentibus, aut tutore, ſi illi deficerent, ſolenni quadam ratione apprehendebantur, & viri poteſtate liberabantur, ſi vel trinoctium abfuiſſent. E

Diffarreatione, erat quippe quoddam ſacrificii genus, quo inter conjuges fiebat diſſolutio: ſicque appellabatur, quia fiebat adhibito libo ex farre.

Remancipatione, quia quaſi coemptione in matrimonio contrahendo, mulier in manum mariti tradebatur. Quò ſpectat illud Terentii in Andria; Hanc mihi in manum dat. Atque eadem mulier in repudio remancipabatur: hoc eſt, Vir, in cujus manum convenerat, manu ipſam parentibus, aut tutoribus reddebat.

Ultra hos modos erat alius, quem Diremptionem vocabant, teſte *Blondo, de Roma triumphante, l. 8. pag. 2. & 3.*

FORMA.

Divortii Forma erat, ut teſtatur *Juriſc. l. 2. ff. de divort. iſta.* Conditione tua non utor, vel, Res tuas tibi habeto, vel, Res tuas tibi agito. Quod ſignificavit Cicero *orat. 2. cont. Anton.* agens de Mima ab ipſo repudiata, Frugi factus eſt, Mimam illam ſuam res ſuas ſibi habere dixit. Hujus etiam meminit. *Martialis.*

Menſe novo Jani veterem Proculeja maritum
Deſerit, atque jubet res ſibi habere ſuas.

Ita & apud Apulejum inducitur Cupido ad Pſychem dicere, confeſtim thoro meo diverte, res tuas tibi habeto. *Lib. 5. aſini aurei.* F

Apud Cardienſes alia erat formula, ut notat *Petr. Greg. Syntagm. Juris, p. 2. l. 9. c. 5.* in fin. Soliti erant ſacerdotes mariti ædes adire, ubi uxore conveniente, accendebatur ignis: qui ſi extinguebatur, antequam ſimul annos XL. conjuges vixiſſent fiebat divortium, quod inſtar repudii erat.

CAUSÆ.

Plures veteres Divortii cauſas fuiſſe conſtat *l. conſenſu, C. de repudiis.* Inter alias una erat, ſi Circenſibus aut aliis Theatralibus ludis uxor interfuiſſet, marito invito, aut ignorante. Atque ita apud *Valer. Maxim.*

SEMPRONIUS Sophus uxorem repudiavit, non aliud cauſatus, quam quòd ſe ignorante auſa fuiſſet ludos ſpectare. *Lib. 6. cap. 5.*

CAJUS SULPITIUS, quòd uxorem in publico reperiſſet capite revelato, eam coram Senatu repudiavit. *Valer. Max.*

JUL. CÆS. quod probam mulierem etiam à calumnia immunem eſſe debere diceret, uxorem ſuam repudiavit, quòd cum Clodio rem habuiſſe ſuſpicaretur. G

APUD HEBRÆOS.

REPUDII LEX, ET LIBELLUS.

Repudii veteris permiſſionem deſcribit Moyſes, initio *cap. 24. lib. Deuteron.* Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus, propter aliquam fœditatem; ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cùmque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille etiam eam dimiſerit, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel mortuus fuerit, non poterit prior maritus eam recipere uxorem.

Itaque Deus ob duritiem, & ferinos mores Judæorum, illis permittebat dimiſſionem uxorum, diſpenſando in lege naturæ, ſuper vinculo indiſſolubili matrimonii, ita ut repudiando uxorem non peccarent, quæ ſententia communis eſt.

QUIBUS CONCESSUS. VIRO, AN FEMINÆ.

Notat *Joſeph. l. 15. c. 11.* maritos jus repudii uſurpaſſe, non uxores; atque de maritis lex loquitur, quod autem addit Joſephus, uxores etiam dimiſſas non potuiſſe alteri nubere, præterquam de dimittentis conſenſu, id lex non dicit, potuit conſuetudine fuiſſe introductum, quia libellus repudii matrimonii vinculum ſolvebat. H

Salome ſoror Herodis, præter legem, repudiaſſe ſcribitur maritum ſuum Coſtobarum. *Joſeph. ſupra.*

QUID FUERIT.

Libellus Repudii appellatur Hebaricè libellus Keritur, id eſt, exciſionis, vel abſciſſionis. Erantque velut litteræ dimiſſoriæ, per quas mulier dimittebatur à marito, ſuæque poteſtatis fiebat, quomodo libellum ſupplicem vocamus litteras ſupplices.

FORMA.

Tradunt Hebrei, & ex iis Vatablus, Oleaſter, & alii libelli repudii hanc fuiſſe formam: Ego Rabbi Simeon, filius Rabbi Abraham, &c. die prima menſis ſecundi, anni à creatione mūdi, &c. hic, in hac civitate, ex animi mei voluntate, ſponte, & non coactè, repudiavi Rachel filiam Rabbi Moyſes &c. & dedi illi libellum repudii in manu, litteras abſciſſionis, & ſignaculum diviſionis, ut ſit à me abjecta, & abeat, quocùmque velit,
A & nemo poſſit illi prohibere, juſta conſtitutionem Moyſis, & Iſrael. *Ita Cornel. à Lapide comm. in c. 24. Deuter.*

CAUSÆ.

Cauſa, propter quam mariti poterant dimittere uxores, inſinuatur in ipſa conceſſione, dum dicitur: propter fœditatem aliquam. Hebræis *Eruat*, nuditatem, ſive per metalepſim, rem aliquam fœdam, eſt enim nuditas, fœditas. Quod non intelligitur de ſola fornicatione, aut impudicitia, ut volunt quidam; ſed de omni turpitudine, aut fœditate, v. g. lepra, ſterilitate, veneficio, rixa, notabili deformitate, ebrioſitate. Nam in adulterio vix locum habebat repudium, cum adultera juberetur lapidari: & de adulterio ſuſpecta, ſe purgare aquis zelotypiæ.

Exigua autem fœditas non ſufficiebat ad licitè faciendum repudium. Unde Malachias carpit eos, qui illecti pulchritudine alienigenarum, ducebant eas, repudiatis prioribus uxoribus *c. 2. verſ. 16.* peccabat enim, qui ita repudiabat: non verò repudiata, quia cogebatur diſcedere.

CUR A DEO CONCESSUS.

Cauſas pleraſque hujus conceſſionis tradunt Doctores. Et
B quidem S. Aug. *l. 10. contra Fauſt. c. 26.* Deus, inquit, interpoſuit hanc moram, ut in diſſidium animus præceps, libelli conſcriptione refractus abſiſteret, & quid mali eſſet uxorem dimittere, cogitaret, præſertim quia Scribæ, quorum erat literas ſcribere, erant viri prudentes, & ita diſſidii diſſuaſores.

2. Cauſa erat, ut legitimè, & non niſi cognita cauſa fieret repudium.

3. Ut repudiatæ conſuleretur, poſſetque liberè ad alias nuptias tranſire. Cauſa verò impulſiva illius conceſſionis, fuit duritia, & ſævitia Judæorum erga uxores, ut notatur ex verbis Chriſti. *Matth. c. 19.*

TYPUS.

Per hoc Judæorum repudium ſignificabatur, quod Deus repudiata Synagoga Judæorum, Eccleſiam ex Gentibus ſibi deſponſaret. Eaque de cauſa Judæorum matrimonia non erant Sacramenta, prout noſtra: neque enim ſignificabant indivulſam unionem Chriſti cum natura humana, ſive Eccleſia.

Divortium etiam in lege Naturæ.

ABRAHAM Patriarcha, quod Saram conjugem ſuam adverſus Agar ancillam ſe deſpicientem frequenter diffidere animadverteret, ipſam Agar dimiſit juſſu Dei, id eſt, divortium
C cum ea fecit. Erat enim uxor ſecundaria. Non tamen ſolvebatur eorundem matrimonium, ut alterutri libuerit aliud inire matrimonium. *Geneſ. c. 21.*

APUD MEDOS, ET PERSAS.

Non quidem licitum apud Gentiles fuiſſe repudium conſtat, quod juri naturæ adverſetur, nullamque deſuper habuerint diſpenſationem, quod neceſſarium erat ad diremptionem matrimonii, Fuiſſe tamen uſitatum apud Medos, & Perſas, patet *Judic. c. 11.* ubi Sampſon inviſere volens uxorem ſuam, reperit eam à patre alteri traditam viro. Unde conſtat divortium Philiſtæis fuiſſe uſitatum.

Etiam Rex Aſſuerus divortium non modò, ſed & repudium fecit cum Vaſthi regina, & duxit in illius locum Eſther. *c. 1. Eſther.*

APUD CHRISTIANOS.

Poſt promulgatam legem Evangelicam, qua permiſſio olim Judæis facta quoad repudium uxoris, ut conſtat *Matth. 19.* nullus datur caſus, quo matrimonium ratum, & conſummatum valeat quoad vinculum diſſolvi, aut uxor eo modo repudiari. Obtinet enim ſemper illud Chriſti; Quod Deus conjunxit,
D homo non ſeparet. Uti & illud Apoſtoli; Dico vobis uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam. Itaque divortium ſolvit dumtaxat thori conſortium, & habitationem, quantumcunque juſtum ſit. *1. Cor. c. 7.*

Quænam verò ſint cauſæ juſti divortii, non eſt hujus loci pertractare. Vel enim incontinentia alterius conjugum, vel moleſta cohabitatio, vis, metus, prodigalitas, & ſimiles defectus, dummodo probentur; ſufficiens ineundi divortii cauſa exiſtunt. Eſtque nunc plerumque aliqua ex iſtis, propter quam contentiones inter conjuges, dein querelæ ad Superiorem, tandem divortia oriuntur. Videatur *Sanchez l. 10. de Matrim. diſp. 1. & ſeq.*

* REPUDIA INJUSTA, PUNITA. ÆQUO ANIMO PERPESSA.

HERIBERTUS Clotharii filius, qui Childeberti regno ſucceſſit, & ſedem Pariſiis habuit, derelicta legitima uxore, quæ vocabatur Ingoberta, duas ſorores Marconeſam, & Meroſilidam ſibi in matrimonium jungit, ex quo ſcelere excommunicatus eſt à S. Germano Pariſiorum Epiſcopo, & juſto Dei judicio percuſſus moritur, & in baſilica S. Romani ſepelitur. *Regino in Chron. l. 1. an. Dom. Incarn. 498.* E

Anno Domini 1069. Henricus Germanorum Rex, Vvormatiæ poſt Pentecoſten cum Principibus regni colloquium habuit. Ibi primùm ſecretò cum Epiſc. Moguntino egit, ejuſque opem ad perficiendum, quod mente machinabatur, obnixè implorat; ſi impetret, ſe deinceps ei ſubditum, & dicto obtemperantem fore. Annuente Epiſcopo, & pactione utrinque firmata, Rex ad publicum refert, ſibi cum uxore non convenire; diù oculos hominum fefelliſſe, ultra fallere nolle: nullum ei crimen, quo juſtè repudium mereatur, adferre, ſed ſe, (incertum quo facto Dei judicio) nullam cum ea maritalis operis copiam habere. Proinde per Deum orare, ut ſe malè ominata compede abſolvant, patianturque æquo animo diſſidium fieri, ut illa ſibi, & ipſe ei, ſi ita Deus velit, felicioris matrimonii viam patefaciat. Et ne quis violatum ſemel pudorem cauſetur obſtare iterùm nupturæ, ſe ſub jurejurando confirmare, quod eam ut acceperit, ſic incontaminatam, illibatoque virginitatis pudore conſervaverit. Fœda res, & ab regia majeſtate nimium abhorrens viſa eſt omnibus, F qui aderant. Negotio tamen, cui rex tam fervidè animum adjeciſſet, detractare ſinguli religioſum arbitrabantur. Epiſcopus quoque tam pretioſa pollicitatione redemptus, quantum poterat ſalva verecundia, haud ægrè cauſam Regis tuebatur. Itaque cunctis id fieri cernentibus, Synodum conficiendo negotio indixit Moguntiæ proxima poſt feſtum S. Michaelis hebdomada. Imminente jam die, qui ſcindendo Regis conjugio dictus fuerat, Rex Moguntiam concitus properabat. Et ecce inter eundum comperit Legatum Sedis Apoſtolicæ ſuum Moguntiæ adventum præſtolari, qui diſſidium fieri prohibeat, & Epiſcopo Moguntino Apoſtolicæ animadverſionis ſententiam minitetur, quòd tam nefariæ ſeparationis ſe auctorem promiſerit. Conſternatus illicò, quòd rem diù exoptatam perdidiſſet è manibus; pariter quò venerat in Saxoniam redire volebat. Vix & ægrè tamen amicorum conſiliis ſuperatus, ne Principes regni fruſtrarentur, quos ſumma frequentia ſibi Moguntiam occurrere juſſiſſet, Francofurtum abiit; ibique eos, qui Moguntiam venerant, ſtatuto die adeſſe juſſit. Quò dum frequentes veniſſent, Petrus Damiano (is Legatus erat Sedis Apoſtolicæ, vir ætate, & vitæ innocentia admodùm reverendus) mandata expoſuit Romani G Pontificis, peſſimam rem, & à nomine Chriſtiano, nedum ab regio multùm abhorrentem eſſe, quam moliatur. Si minus humanis legibus, vel canonum ſanctionibus terreretur, parceret ſaltem famæ, & exiſtimationi propriæ, ne ſcilicet tam fœdi exempli venenum ab Rege ſumpto initio, totum commacularet populum Chriſtianum, & qui ultor debuiſſet eſſe criminum, ipſe auctor, & ſignifer fieret ad flagitium. Poſtremò, ſi non flecteretur conſiliis, ſe neceſſariò vim Eccleſiaſticam adhibiturum, & canonum lege ſcelus prohibiturum. Ad hæc, ſuis manibus nunquam Imperatorem conſecrandum fore, qui tam peſtilenti exemplo, quantum in ſe eſſet, fidem Chriſtianam prodidiſſet. Tum verò in eum coorti omnes, qui aderant, Principes, ajebant, æqua cenſere Romanum Pontificem, & per Deum rogabant, ne crimen inferret gloriæ ſuæ, & regii nominis majeſtatem tam turpis facti colluvione macularet. Præterea ne parentibus Reginæ cauſam defectionis, & juſtam turbandæ Reip. occaſionem daret: qui ſi viri eſſent; cùm armis, & opibus plurimùm poſſent, tantam filiæ ſuæ contumeliam proculdubio inſigni aliquo facinore expiaturi eſſent. Hac ratione fractus magis, H quàm inflexus; Si id, inquit, fixum, obſtinatumque eſt vobis, imperabo egomet mihi, feramque, ut potero, onus, quod deponere non valeo. Ita efferato magis per ſtudium concordiæ odio, annuit quidem, ut in regni conſortium Regina revocaretur, quæ ſic reconciliata, tandem ex eo ſuſcepit filium Henricum. *Baron. tom. 11. ſub an. Chriſti 1068. 1. 2. 3. 4. ex Lamb. Schafnaburg.*

Scribit *Cyrin. Ratiſpon. Epiſc. in vita S. Heimerammi Epiſc. & martyris*, ſuo tempore. Cujuſdam ruſtici conjugem ex morbo quodam lumen oculorum amiſiſſe, & virum ejus ob cæcitatem illam deſpexiſſe, alteramque ſibi matrimonio ſociaſſe. Quod ubi Cyrinus loci Epiſcopus comperiſſet, utrumque graviter objurgavit, & pœnitentiam ſuſcipiendam indicavit: attamen adulteram ex ædibus viri eiicere non potuit. Cùm autem aliquando ad Beati martyris Heimerammi ſolemnitatem illa vellet accedere, aliis eò pergentibus comitem ſe adjunxit. Poſtquam autem pervenit ad locum à B. martyris

A tyris Eccleſia ducentis paſſibus diſtantem, mox ut forinſecus templum intuita eſt, in ſuo ſcelere deprehenſa: cœpit tremere, membrorum compages diſſolvi, ipſa humi ſe proſternere, & ſi rurſus erecta, pedem ad carpendum iter minimè poſſe proferre: ſi autem vellet redire domum, confeſtim membrorum juncturæ inſtaurabantur. In his ergo anguſtiis ea ſic deſudante, contigit quendam ſupervenire ſacerdotem, qui cùm in ejus vitam, & mores inquiſiſſet, illa coram aſtantibus fatebatur, ſe iſtud perpeti adulterii cauſa. Admonet ergo illam vir Dei, ut ad Epiſcopum rediret. Quò reverſa, cum lachrymis ſe ad pedes ejus abjecit, & ſuam miſeriam coram omnibus alta voce confeſſa eſt; cui Epiſcopus adjecit, in hoc ſe veniam à Domino impetraturam, ſi firmiter ſtatueret, ſe deinceps minimè cum eo viro manere. Quod cùm pollicita eſſet, & pœnitentiam pro Epiſcopi arbitrio peregiſſet, tanta ſecuritate ad B. Martyris Eccleſiam acceſſit, ac ſi nullum unquam membrorum dolorem ſenſiſſet. *In vita S. Heimerammi per Cyrin. Epiſc. c. 23. apud Sur. 22. Sept.*

Circa an. Dom. 1330. Delphis Virgo venerabilis Gertrudis ab Oeſten fuit deſponſata cuidam adoleſcenti, qui deſpexit B eam, & alteri ſe jungere voluit. Eam verò monuit Gertrudis, ne ſuum ſibi ſponſum præriperet: ſed id fruſtrà fuit: nupſit enim illa adoleſcenti. Cernens igitur Gertrudis tam fallacem hujus mundi fidem, decrevit integram ſe Domino conſervare, cujus eſt conſtans fides, utpote Regis cœleſtis, & immortalis. Inde ſuccedente tempore, cùm altera illa ex ſponſo Gertrudis aliquot concepiſſet proles, poſtquam ad partum ventum eſt, ultra modum cruciabatur, nec priùs vel dolore, vel partu abſolvi potuit, quàm à Gertrude jam Beghina effecta veniam petiiſſet; qua pro illa miſera orante, tandem liberabatur. *In vita ejus c. 2. apud Sur. tom. 7. Jan. 6.*

An. Chr. 1535. octavo idus Jan. in Anglia diem vitæ extremum clauſit optima, & conſtantiſſima Herois Catharina, quam Rex Angliæ Henr. VIII. malè perſuaſus à ſe ſepararat, cùm jam viginti annis eam in matrimonio habuiſſet. Et quidem poſt divortium illud infauſtum, ſe contulerat in Comitatum Bedfordienſem ad villam regiam, quam appellant Kimbalton, cœlo parum ſalubri ſitam: vixitque illic admodùm religiosè, & ſanctè, magnoque animo illam ſeparationem fortiter perferens; quanquam non dubium eſt, acres illam interdum animi dolores ſenſiſſe, quòd videret Regem parum memorem C ſalutis ſuæ, ipſa contempta, Annam Boleniam quam ex Thomæ Boleni conjuge ſibi ſuſcitaverat adulterino concubitu, connubio copulaſſe. *Sur. in Chron. ann. 1535.*

DECRETUM CALVINISTICUM Super conjuge nupta.

Tempore Henr. VIII. Regis Anglorum in publicis Comitiis, tanquam in Synodo quadam Epiſcoporum, cauſæ ſpirituales, quæ ad jus Eccleſiaſticum pertinent, proponebantur. Inter cæteras verò de matrimonio quodam ita definitum conſtat. Opifex quidam fuit, cui nomen Matthæus Barro. Cujus uxor, ex qua liberos genuerat, lavabat olim familliæ Cromvellanæ lineas veſtes, in qua tum degebat Radulphus Sadlerus non obſcuri nominis vir. Matthæus autem iſte, qua de cauſa ne ſcio, in tranſmarinas regiones ſe contulit; niſi quòd quidam exiſtimabant ei ſuſpectam fuiſſe uxoris ſuæ caſtitatem, & ideò eum abiiſſe, ne videre cogeretur, quod neque ferre poterat, neque emendare. Cùm ergo annis aliquot abfuiſſet, uxor ipſius audiens virum fuiſſe mortuum, nupſit Radulpho D equiti aurato. Tandem Matthæus in patriam reverſus, ubi reperit uxorem alteri nuptam, cœpit illam repetere. Ex altera verò parte Radulphus, qui liberos etiam ex ea genuerat, non patiebatur illam à ſe divelli. Res ad ſummum tribunal, id eſt, ad publica regni comitia, tam ſub Henrico, quàm ſub Eduardo defertur. Ibi decernitur, mulierem iſtam, quæ primùm Matthæo, deinde Radulpho nupta, ex utroque liberos conceperat, non Matthæi prioris mariti, ſed Radulphi uxorem deinceps habendam eſſe; potentior quippe, ditiorque hic erat, & ideò contra Evangelii veritatem, prioris viri adhuc viventis uxor ſecundo marito adjudicata eſt, ut non minus novæ matrimoniorum, quàm ſacrorum rituum leges inſtituerentur. *Nicolaus Scander. de Schiſmate Anglicano.*

SPONSÆ REPUDIATÆ.

Metellus C. Mario reſpondit, cùm ejus filiam prædivitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem ducere nollet: Malo eſſe meus, quàm ſuus. Cui Marius: Immò ipſa erit tua. At illa: Immò virum oportet eſſe uxoris. *Cælius l. 14. c. 14. Ant. Lect.* E

M. Tul. Cicero, cùm Terentiam uxorem repudiaſſet, & ab Hirtio, ut poſt repudium ſororem ſuam duceret, rogaretur, negavit ſe facturum: dicens, ſe non uxori, & philoſophiæ pariter operam dare poſſe. *Hieron. contra Jovianum.*

Joannes Exagonarum Imp. ad mare Ponticum, Venetis curantibus, Balduino Roberti F. Imp. Conſtantinopolitano, Filiam obtulit uxorem, fore pollicitus, ut Romanum Imperium, Joanne Laſcari Adrianopolitano duce pulſo, in generi redigeret poteſtatem. At Latinorum procerum conſilio Joannis Brenni regis Hieroſolymitani filia Martha Balduino eſt deſponſata, Imperator Exagonarum repulſam hanc ægerrimè tulit. Et, quod ſæpius anteà rogatus abnegaverat, ſuam filiam Theodori Laſcaris ſenioris filio Joanni deſpondit. Juncti hinc affinitate Græci Imperatores, de pellendis Latinis conſilium ceperunt, & tandem mortuo Theodoro, Balduinus Imperio pulſus eſt à Michaele Palæologo, tutore filiorum Theodori. *Cuſp. A. D.*

Friderico III. Imp. Amedeus dux Sabaudiæ, quem Baſilienſe Concilium Eugenio IV. à ſummo pontificatu depoſito, ſuffecerat, & Felicem V. vocaverat, Filiam, quam domi F habebat viduam, juvenem, & forma præſtantem, in matrimonium obtulit, ſimulque dotis nomine auri nummorum ducenta millia, ſi, Eugenio relicto, ſe Petri ſucceſſorem appellaret. Cæſar, ad ſuos converſus: Vendere, inquit, alii pontificalia ſolent, hic libenter emet, ſi reperiat venditorem. *Æneas Sylvius lib. 3. Comment. de Alfonſo.*

Carolus IIX. Francorum rex, etiamnum impubes à patre Ludovico XI. in uxorem accepit Margaritam Maximiliani Imp. ex Maria Burgunda filiam infantem. At poſt rerum potitus, Margarita repudiata, Annam Britannam Maximiliano ſocero pactam, cùm ad ſponſum duceretur, rapuit, Alexandro VI. Pp. diſpenſante, & ex ea duos liberos ſuſtulit, & extulit. *Ritias l. 3. regum Francorum, & Cuſp. A. D.*

* Docilitas.

Definitio, & Etymologia.

Docilitas εὐμαθεια Græcè, comes eſt Prudentiæ, eſtque animi quædam vis, qua facilè concipimus, quæ proponuntur. Cujus duplicem fructum in Principe aſſignat *F. Pa-* G *tricius l. 6. tit. 12. de Inſtit. Princip.* tum ut principes percipiant, quæ explicatè dicuntur: tum ut ſibi caveant ab iis, quæ ſub velo aliquo aſtutiæ proponuntur. Dicitur autem ab eo, quod quis propoſitam doctrinam facilè percipiat.

Exempla, & Apophthegmata.

Alcibiades celebratur à docili, & amœno ingenio, ut qui omnium moribus, & doctrinis abſque difficultate ſe accommodabat. Apud Lacedæmonios gravem ſe, ac ſeverum bellatorem: apud Jones, inertem, & delicatum more gentis ſe exhibebat, alibi aliorum mores imitabatur.

M. etiam Antonius docilis fuit in alieno ſermone moribuſque ediſcendis, ut velut ſeipſum interpolare, novamque induere faciem videretur.

Mithrid. ſumma fuit memoria. Ingenio verò ita facili, ut ad omnia ea natus videretur, quæcumque vel primo velut intuitu ageret. *Patricius de regno, & Reg. inſt. ſuprà.*

Tradiderat Theodoſius Imp. filios in diſciplinam Arſenio viro docto, iiſque æterna memoria dignum ſemper verbum proloquebatur: Si tales vos exhibeatis, ut vitam, moreſque ad diſciplinam, & Dei leges componatis; propenſum me fo- H re ſcitote, Imperium in manus veſtras tradere: ſin minus, conducibilius erit privati vos perſonam agere, quàm ſine ulla doctrina imperare. *Ex Niceph. l. 12. c. 23. hiſt. Eccl. Beyerl. in Apophtheg.*

Illuſtrius eſt, quod addam. Inſtituerat Carolus Magnus verus amor, & delicium humani generis; Seminarium, in quo tenuioris fortunæ adoleſcentes non alebantur modò, ſed & omni diſciplinarum genere exercebantur; & alterum, in quo nobiliores inſtruerentur. Ubi autem illos præ his ampliorem in ſtudiis progreſſum feciſſe animadvertiſſet, eos ad dextram ſegregatos, hoc ſermone compellebat: Macti virtute eſtote filioli: vos manent ſacerdotia, & dignitates non aſpernendæ. Converſus verò ad alios; Vos, inquit, comperi dicto, imperioque noſtro inobedientes. Deum teſtor nihil penitus commodi, honoriſque à me ad vos profecturum. *Avent. lib. 4. A. D. Beyerl. ſupra.*

☞ *Refe-*

A ☞ *Referantur ad hunc tit. ex loco de Doctis infrà, pleraque. Item ex tit. de Doctrinæ præſtantia.*

☞ *Denique in fine hujus loci, require, Docendo exercere ſuos, & ibidem, Diſcipuli dociles.*

* Doctor. Doctoratus.

Definitio, et Etymologia.

Doctor verbale à doceo, notæ eſt ſignificationis, pro eo, qui alium docet, aut ad id poteſtatem legitimam habet, & alias qualitates requiſitas, δοκέω, ut placet Scaligero, quod idem eſt, quod æſtimor [qui enim docet, eſt in exiſtimatione:] vel ſentio, nam & docens aliis tradit, quod ſentit. Communiter tamen uſurpatur, ut denotet illum, qui per varios eruditionis gradus, ſummum in aliqua ſuperiori facultate apicem in Academia aliqua conſecutus eſt, qui & Doctoratus Magiſterium, ſaltem quoad S. Theologiam, vel ſuprema laurea ſolet appellari, neque confertur niſi certis cæremoniis, juxta cujuſque Academiæ receptos mores, & probatas conſuetudines.

Fuerunt etiam apud Judæos legis Doctores, ut conſtat variis B Scripturæ S. locis. Et apud eoſdem erat gradus Doctoratus Talmudici, quem Gaon appellabant, à quibus, quod quidam ex ſecta Samaritanorum Anan repelleretur, riſit, & fabuloſas cenſuit omnes Talmudicas traditiones, ut refert *P. Greg. lib. 12. de Rep.* Chriſtianis quoque idem gradus uſitatus eſt: ut apud quos S. Paulus Gentium Doctor, & primi, qui ſcriptis ſuis Eccleſiam illuſtrarunt, Doctores nuncupantur Eccleſiæ. Mos etiam obtinuit, ut promoti in arte medica Doctores penè ab omni natione appellentur. Apud Sinenſes non ſimilis gradus confertur illis, qui per ſcrutinium reperiuntur eum meruiſſe. *Conſulatur locus de Academiis, tit. Grad. Academici.*

Genera Varia.

Communiter ut præmiſſum eſt, Doctores vocamus, qui in famoſa univerſitate, in cujus erectione, poteſtatis cum Eccleſiaſticæ, tum Politicæ auctoritas intervenit. Doctoratus gradu inſignitus eſt, & uſus obtinuit, ut à facultate, in qua promoventur, nomen ſortiantur. Hinc dicitur hic renuntiari Theolog. ille I.C. & ita de aliis, quamvis id Theologis peculiare, ut Magiſtri noſtri titulum deferant, in quem immerito Eraſmus in colloquiis debacchatur. Cùm enim Theologia ſit ſcientia de Deo, adeòque ad ſalutem neceſſaria, meritò eos, qui il- C lam nobis tradunt, noſtros Magiſtros appellamus, & parum creditur intereſſe, an vox (noſter) magiſtrum ſequatur, an præeat, quamvis uſus eam poſtponat. Sunt alii quos S. Pontifex eo honore decorandos cenſet, ut ad quem originaliter id ſpectare cognoſcitur, cùm univerſitates ab eo privilegia obtinere debeant; gaudentque illi privilegiis graduatorum ab univerſitate, immò illis digniores exiſtimat *Rebuff. ad §. volentes, de mand. Apoſt. in concordat.*

Olim quoque Comites quidam Palatini facultatem habebant gradus conferendi, Protonotarii Apoſtolici etiam, ac alii nonnulli, vigore bullarum certarum, & reſcriptorum. Qui doctores bullati, & Codicillares hodie vocantur, cùmque promiſcuè, & abſque examine: immò & ſufficienti eruditione ad eum gradum promoverentur, reprobati ſunt à Pio V. anno 1568. & noviſſimè à *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de reform. & ſeſſ. 24. c. 12. de reform.* hinc rectè Dion. dixiſſe commemoratur de Heliodoro, quem Hadrian. Imp. fecerat Epiſtolarum ſuarum magiſtrum; Poteſt Cæſar pecunias, & honorem tribuere, rhetorem facere non poteſt. Docuit enim experientia, bullatos iſtos Doctores bullarum inſtar turgeſcere, nihilque ſoli- D dæ eruditionis habere, niſi in ſuis diplomatibus. Luſit in quendam bullatum Doctorem nonnemo:

Doctorem te bulla creat, tibi bulla decori eſt,
Bulla tibi vires, bulla parit titulos.
Sed caveas, ne fortè nimis te bulla perennet:
Bulla homo es, & Doctor bulla, quid ergo tumes?
Inſigne ingenuis fuit olim bulla puellis,
Cùm non ſis, bullam cur capis? ingenuus.

Creabantur etiam olim Romæ Doctores Juris, tum Civilis tum Canonici ab aliqua perſona in dignitate Eccleſiaſtica conſtituta, ſub prætextu, quod in famoſa univerſitate ſtudendo, ſe ad eum gradum idoneos reddidiſſent, cùm poſtmodum omnino deprehenderentur ignari, quem abuſum reformavit Julius III. *In conſtit. Cum ſint edita,* anno 1552. die 6. Febr. & habetur. *In bullario Laertii Cherubini.*

Requisita.

In Academiis obſervatur, ut gradatim, & per certos honorum titulos aſcendatur ad iſtum, quò major non datur utpute Bacchalaureatum duplicem, quorum priorem Currentem, alterum Formatum dicunt, & Licentiam. Alibi tamen E ubi poſt ſtudium locupletandi fiſci, quàm eruditos alumnos emittendi magis viget, aut ſimul, aut exiguo ſpatio intermedio conferuntur.

Cæterum ut nomen ſuum Doctor aptè deferat, doctrina inſtructum pectus habeat, neceſſarium erit, qua in re maximus hoſtie defectus ſe prodit, gravi Reip. incommodo, cum pleræque ſcholæ publicæ ita facilè quoſvis Doctoratus titulo honorent, ut quidam diceret, etiam aſinum ſuum, & equum, quò vehebatur, inſigniendum fuiſſe, ſi totidem coronatos, quot pro ſe numeraverat, expendere voluiſſet, culpa indubiè Profeſſorum, qui minùs timoratæ conſcientiæ lucro inhiant, parum ſoliciti, an Academiæ nomen, & gradus in ludibrium, & riſum abeant, digni certè, qui gradu ſuo exuantur. Alibi natalium legitimorum defectus ab hoc gradu arcet, quem tamen pleriſque locis gradus ſupplet, & legitimos reddit, ex ſingulari privilegio, quo etiam gaudet Academia Lovanienſis. Alioquin olim ſpuriis, & illegitimo thoro natis gradus Academici non conferebantur. Juſtin. certè in *l. 2. §. quæ omnia, C. de vet. Jur. enucl.* Anatolium legum doctorem laudat, quòd ab antiqua ſtirpe legitimum genus duceret. F

Jason. doctiſſ. I.C. legimus à Mediolanen. Juriſconſultorum collegio paſſum repulſam, quòd illegitimus eſſet. Simile ſtatutum vigere apud Bononienſes, refert *Paleot. de ſpur. c. 56.*

Eſt pleriſque Germaniæ Academiis uſitatum, in parentes, ac natales inquirere illorum, qui honorum inſignia perquirunt, antequam ea conferant. Quamvis ſi ſpurii, & illegitimi, moribus, indole, ingenio parentes ſuperent, & nativitatis dedecus vincant, ut & legitimorum luminibus officiant, ab honoribus arceri non debeant, ac de ſummo rigore aliquid remittendum, ſentit idem *Paleot. c. 65. in fine Alvar. Valaſ. conſult. 17. n. 32.*

Cæterùm adversùs abuſum illum, quo promiſcuè ad gradus admittuntur, qui iiſdem deferendis inſufficientes, & indigni ſunt. Seren. Princ. Albert. in Belgio ſubvenit nuper, dum decrevit, ut nemo ad illum gradum aſcenderet, qui non paratus eſſet, publicum diſputando abſque præſide, de argumento per Profeſſores ſuggerendo præbere teſtimonium. Quæ cautio ſi ante plures annos gradibus adipiſcendis impenſa fuiſſet, & alibi impenderetur, non tot nomine tenus DD. ſubſellia academica onerarent.

Privilegia, Et Prærogativæ.

Honorii Imp. *l. fin. de tyron. l. 12. C. tit. 44.* cenſura fuit, non eſ- G ſe ferendum, ut celſiorem quis gradum obtineat, niſi cui & laborum aſſiduitas, & ſtipendiorum prolixitas ſuffragentur.

Achilles Phœnicem præceptorem ſuum ab Agamemnone ad ſe miſſum honorificè habuit, eique regni dimidium detulit, ait enim apud *Hom. iliad. 9.* ἶσον ἐμοὶ βασίλευε, καὶ ἥμισυ μείρεο τιμῆς, id eſt, *Æquè ac ego regna, & dimidium partire honorem.*

Carneadem Cyrenæum, & Pænum Clitomachum curia Athenienſis civitate donavit, uti Zeleucum Locrenſium legiſlatorem.

Præceptor Gratiani Auſonius conſulatu ab eodem donatus.

Dionyſius Mileſius hiſtoricus ab Hadriano Imperatore annumeratus equitibus. Octavianus Cæſar Alexandriæ pepercit propter Aureum civem eruditum.

Prœreſinum Armenum Rhetorem, & Præfeſſorem Athenienſem, è Galliis à Conſtante Imperatore redeuntem Romani ſtatua donarunt, cum hac inſcriptione: Regina Roma Regi Eloquentiæ. *Eunapius in ejus vita.*

Orbilii Pupilli Beneventani, qui Romæ docuit, ſtatua viſitur, inquit *Suet. Tranquil. de illuſtr. Gramm. n. 12.* H

Conſtat ex Novella Alexii Comneni Imp. olim Conſtantinopoli Doctores, & Magiſtros publicè docentes, Epiſcopalem dignitatem habuiſse, & Patriarchalem repræſentaſſe, adeòque annonam, & ſtipendia ab Imperatore accepiſſe.

Certè cùm nuper per Belgium conſtituerentur novi Epiſcopatus ad inſtantiam Regis Catholici, primas eorum cathedras inierunt Doctores, & Profeſſores Academiæ Lovanien. Cornel. Janſſenius Lindan. Tapperus, Petr. Simonis, quales etiam hodie plerique ad eaſdem dignitates evecti, præſentati per ſereniſſimum principem Albertum: qui inſuper ex Juriſconſultorum præfatæ Univerſitatis collegio, quoſdam excellentiores in numerum Senatorum ſuorum cooptavit.

Bonibac. VII. exemit Doctores, & publicè legentes à tributis, pedagiis, vectigalibus urbis Romæ: quodque coram ſuo proprio Judice debeant conveniri pro admiſſo crimine. Item reſidentes in Univerſitate acciperent fructus beneficiorum ſuorum, qua de re extat decretum quoque Concilii Tridentini.

Phi-

Philippus V. Rex Galliarum conceſſit Magiſtris, &
A Doctoribus ſtudii Pariſienſis, ut non teneantur pro ſubſidio ad bellum. Carol. V. Rex ſimilem immunitatem indulſit, uti & Carol. VII. ac Ludov. II. *Conſule locum de Academiis.*

* Doctores Eccleſiæ.

Qui. *Unde eorum munus, dignitas, &c.*

Teſtatur Apoſtolus, Deum in Eccleſia poſuiſſe Doctores ut membra, ſine quibus conſiſtere corpus non poſſet, 1. *Cor.* 12. & alio loco dicit, illos tamdiu futuros, donec omnes evehamur in cœlum, ac unius fidei profeſſione uniendos. *Ad Eph.* 4. Doctores itaque accipimus tum illos, qui plebem ſibi commiſſam inſtruunt, & divini verbi pabulo ſuſtentant: tum eos, qui ex cathedra docent literatiores, ut ſincera dogmatum doctrina in Dei populo retineatur: vel ſcriptis ſuis ea concipiunt, & divulgant, per quæ doctrina ſanior ſtabiliatur, & arguantur, qui contradicunt. Quæ quidem Doctoris acceptio latè ſe extendit nempè ad omnes, qui ad docendum in Eccleſia legitimè mittuntur, & per oſtium in eam intrant, fueruntque à temporibus Apoſtolorum, qui primum hìc locum ſibi vindicant, innumeri cùm Græci, tum Latini, quamvis etiam Judæorum ſynagoga ſuos habuerit, ut notum eſt: neque enim
B doctrinæ ſanæ vera integritas extrà Eccleſiam ejuſque doctores invenitur, utpote penes quos eſt judicium doctrinæ fidei, quamvis non ſolos, neque tamen ipſorum auctoritas eſt planè infallibilis per ſe, & neceſſaria, non quod ab ea ſit temerè recedendum, ſed quod Eccleſiæ definientis, aut determinantis ſuffragium, & ſenſus accedere debeat: cujus auctoritatem requirebat Aug. ad credendum Evangelio, ideòque ab Apoſtolo dicitur columna, & firmamentum veritatis.

Licèt autem docere, & paſcere munia ſint plerumque connexa, prius nihilominus poſteriore eſt excellentius. Indicat id Apoſt. *ad Tim.* 5. dum ait: Presbyteros, qui bene præſunt, eſſe dignos duplici honore, adjecit, maximè, qui laborant in verbo, & doctrina. Siquidem docere in Eccleſia verbum Dei, eſt ipſum explicare, & interpretari: paſcere eſt vel exhortando, vel præcipiendo dirigere, utramque autem hanc functionem Chriſtus Eccleſiæ impartivit, mittens diſcipulos ſuos ad docendum omnes gentes, & Petro ovilis ſui paſtum tertiò communicans, ſuique aſſiſtentiam addicens: immò & poteſtatem, quam ut homo acceperat, communicans, dum ait, *Matth. ult.* Data eſt mihi omni poteſtas, &c. Euntes ergo docete, &c.

C Cæterùm uſus obtinuit, ut quatuor duntaxat Eccleſiæ Doctores tanquam excellentiores, & velut per antonomaſiam dicamus: Ambroſium, Auguſtinum, Hieronymum, Gregorium, tum quòd illi de pluribus rebus ad fidem, & Scripturæ interpretationem facientibus ſcripſerint, & docuerint: tum quod magno zelo, & ſingulariter à Deo illuſtrati, hæreſes, earumque aſſertores oppugnaverint, & expugnaverint.

Eorum Epitheta, & Symbola.

Volunt Hier. Beda, Euch. *in* 3. *Reg.* 7. Doct. figuratos per duas columnas Jachin, & Boos, quas Salomon in introitu templi collocaverat, quia inſtar columnarum ad ſuperna erecti fortes ſunt doctrina, & opere. Duæ ſunt, quæ Judæos, & Gentiles fulciunt: ſunt ante fores templi, ut utroſque in templum, ideſt Eccleſiam inducant. Ita *Corn. à Lap. in c.* 3. *Epiſt.* 1. *ad Timot.*

Porrò de Doct. intelligitur, quod Chriſtus dixit: Vos eſtis ſal terræ, eo quòd inſtar ſalis, homines in terra genitos, nullumque virtutis ſaporem habentes, ſapidos reddant, eorumque mentes condire ſatagunt, vide *Greg. hom.* 17. *in c.* 10. *Luc.* Idem dixit, vos eſtis lux mundi, non unius gentis, aut populi, ut olim Judæi, ſed omnis creaturæ, ad quam docendam miſ-
D ſi ſunt: cui non doctrina tantùm, ſed exemplo, & converſatione debent prælucere.

Comparantur eodem loco (*Matt. c.* 5.) Civitati ſupra montem poſitæ, propter muneris ſublimitatem, quodque omnium in ſe oculos convertant, & ipſi omnium vitam conſiderent, & ſpeculentur, lege *Greg. hom.* 11. *in c.* 33. *Ezech.* unde Doct. inſtar Angelorum debent illuminare, purgare, perficere. Primùm facere exemplo Chiſti, antequam doceant, concham præ ſe ferre, quæ dum impletur, expectat, & quod ſuperabundat, ſine damno ſuo communicat: non canalem, qui ſimul recepit, & refundit. Vide *Bern. ſerm.* 18. *in Cantica.*

Cæterùm Doct. illi, quos ſupra per antonomaſiam Eccleſiæ Doct. dicimus, comparant nonnulli quatuor illis Cherubin, quorum meminit *Ezech. cap.* 1. ut facies hominis Gregorio, cujus ſcripta facilia: leonis, forti Ambroſio: vituli, laborioſo & ſolido Hieronymo: aquilæ denique, acutiſſimo & ſublimi Auguſtino conveniat. Sic Hieronymus ſe bovem vocat ſcribens ad Auguſtinum: Bos laſſus, ait, fortiùs figit pedem.

Præmium Post Hanc Vitam.

Danielis prophetæ teſtimonio, qui docti fuerint (Maſkim E
Hebraicè, quod doctos, & docentes ſignificat) fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates, *c.* 12. *v.* 3. ubi de omnibus loqui cenſetur, qui docendo ſive privatim, ſive publicè, ſive ex auctoritate, ſive ex charitate; converſatione, exemplo, adhortatione peccatores convertunt, juſtitiam inculcant, & promovent, & alios in fide roborant. Sic ut propriè non agat de illis, qui profanas ſcientias profitentur, aut etiam Theologicam modo tantùm ſpeculativo, & ſcientifico: niſi ſimul ad praxim eas dirigât, & animas auditorũ inducant ad Dei timorem, & pietatem. Talibus ergo promittitur poſt hanc vitam major gloria, & peculiaris cùm animæ tum corporis, claritas quædam ſingularis, quam DD. aureolam vocant: eaque viridem exprimens colorem; tanquam inſigne doctoralis muneris, ut tenet *Dom. Soto in* 4. *diſt.* 40. *Joſeph. Angles q. de Beatit. d.* 6. *in fine.*

Hujus Præmii Præludia, Et Symbola Sacra.

Ubi de Doctoribus ſtellatis etiam in hac vita.

Moyses legiſlator, & Doctor veteris Teſtamenti præfulſit ut ſtella, dum facies ejus à Deo radios, & velut cornua lucida excepit. *Exodi c.* 39. *verſ.* 29. F

De Simone Oniæ filio, Doctore, ac Pontifice inſigni ait *Eccleſiaſt. c.* 50. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, & quaſi luna plena in diebus ſuis lucet, & quaſi Sol refulgens, ſic ille effulſit in templo Dei.

Christus Doctor Doctorum, jam glorioſus de ſeipſo ait *Apoc.* 22. 16. Ego ſum ſtella ſplendida, & matutina. Eccleſia, quæ eſt columna, & fundamentum veritatis, apparuit S. Joan. *Apoc.* 12. 1. quaſi mulier habens in capite coronam ſtellarum 12. puta 12. Apoſtolorum, qui Eccleſiæ Doct. ei quaſi ſtellæ præfulſerunt, & præfulgebunt in æternum. De qua re luculenter *S. Chryſ. Hom. de Pont. ſub finem Tom.* 3. *Apoc.* 1. *v.* 20. ſeptem ſtellæ ſeptem Angeli (hoc eſt Doctores, & Epiſcopi) ſunt ſeptem Eccleſiarum Aſiæ.

S. Dominicus nobili cuidam matronæ in viſu apparuit, luculentam ſtellam in fronte gerens, cujus immodico ſplendore totus orbis irradiabatur, ut habet *ejus vita l.* 1. *& ult. in fine.*

S. Nicol. Tolentinas, qui verbo, & ſancta, auſteraque ſua vita multos erudivit ad ſalutem, in cella ſua dormiens, vidit ſidus radiantiſſimum: vigilans verò vidit ſtellam, quæ quotidie motu recto ipſum antecedebat uſque altare, deinde ſtella hæc poſt mortem ejus, ipſo die obitus quotannis ad tumulum viſa eſt. I- G
dem ſex menſibus ante mortem, qualibet nocte ante preces nocturnas audivit angelos ſuaviſſimè canentes, ipſumque invitantes ad ſuum in cœlis conſortium; ita ut ipſe ad eos aſpirans diceret, cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Nimirum Angeli amant Dd. utpote qui Angelorum apud homines officio perfunguntur. Abbas *Polycr. in Prato ſpir. c.* 6. narrat de ſancto quodam monacho, ſuper cujus defuncti caput ſtella quaſi comes itineris apparere non deſtitit, donec ipſum ſepulturæ traderent. *Et c.* 140. narrat Abbas Theodoſius ſe vidiſſe ſtellam lucidiſſimam ſuper caput Nonni presbyteri. Alius ibidem vidit eundem Nonnum extenſis in cœlum manibus orantem: Lucebant autem manus ejus quaſi lampades ignis.

In morte S. Thomæ Aquinatis viſa eſt viro cuidam religioſo ſtella incumbens monaſterio, quæ eo animam exhalante in cœlum aſcendebat: unde ipſe licèt abſens, S. Th. obitum æque, ac gloriam cognovit. Ita refert *Ferdin. Caſtigl. in hiſt. S. Dominici p.* 1. *l.* 3. *c.* 33.

Denique ſtellæ ſignificant, Doct. & Paſtores eſſe oculos Eccleſiæ, ſicut dux eſt oculus exercitus, & ſtella eſt oculus cœli. Hinc Demas inſignis orator, mortuo Alex. Magno, Macedo- H
num doctore, & ductore, eorum exercitum comparavit cum Cyclope, cui effoſſus eſt oculus. Rurſum ſtella cœleſtis ſignificat eos è cœlo à Deo doceri, duci, regi, ejuſque inſtinctu, & ſpiritu agi, ut auditorum corda illuſtrent, convertant, juſtificent. Ad hoc enim vis humana non ſufficit, ſed divina requiritur.

Doctrina.

Definitio, & Etymologia.

Doctrina, Græcè διδασκαλία, Heb. *Lekach*, inſtitutio quam diſcipulus à ſuo præceptore accipit, à verbo *Lakach*, accepit, ſuſcepit, ſumpſit. Cognationem habet cum *Lachadh*, cepit, comprehendit. Hinc Gr. χιχέω, conſequor. Doctrina modo pro actu ipſo docendi, modo pro diſciplina ſumitur: ut *Plin. vir in omni doctrinarum genere excellens*, communiter tamen eſt eruditio, quatenus proficiſcitur à præceptore.

Ejus

Ejus Præstantia

A Doctrinam, qua pulchrior, ac nobilior nulla eſt poſſeſſio, in præſenti adducimus, & pro ea Pium II. Pontificem, cujus memoranda vox: Cui plura noſſe datum eſt, eum majora ſequuntur dubia. Cur ita? Fit namque, ut ubi rem quampiam accuratè inveſtigaveris, tum demum ea in animum veniunt, quæ ad rationem, perfectionemque illius planè indagandam conducere videntur. *Ex Platina in vita L. Beyerl. in Apophth. Chriſtian.*

Juliano Card. in Bibliotheca aſſiduè lectitanti dum quidam objeciſſet, Quid hìc inter mortuos ſolus latitas? cur non exis ad nos, qui ſuaviter vivimus? Immò, inquit, hi fama vivunt; tu verò neque nomine, neque re. Senſit & hìc cum Diogene vitam ſine literis mortem. *Ex Æn. Syl. l.* 3. *Comm. de geſt. Alph. Idem.*

Erat Titius Nobilis reg. Franc. ex illis, qui Franc. I. veſtigia ſectatus literas (quæ anteà ſordidæ inter nobiles reputabantur) in aulam Franciæ reduxit, cui proinde in ore frequens illud: Litteræ Equeſtris ordinis dignitatem confirmant, & ab ignobilitate vindicant. *Refert Greg. Richt. in Axiom. Polit. Idem.*

Iterùm Alphonſum Arag, Regem compello: à quo pro-
B fectum aliquando, Malim privatam vitam agere, quàm eruditione carere, ita enim eum affecerant literæ, ut Joannes Efernitanus rari judicii, ingeniique vir, clariſſimum hoc de eo tulerit teſtimonium, niſi Rex fuiſſet, eximium Philoſophum futurum fuiſſe. *Panorm. de geſt. Alphon.*

Doctrina Junctum Habens Bonum Aliquod externum. Corpori, aut Fortunæ. Huc pertinent

Docti, ſani, formoſi, robuſti, athletæ, pugiles.

Cleobulus ex Lindo fuit, quæ urbs eſt Rhodi inſulæ. Alii Carem volunt, ut Duris. Fuit patre Evagora, viribus, formaque cunctos ætatis ſuæ antecellens. In Ægypto didicit. Ejus filia Cleobulina inſignis fuit vates ænigmatum heroicis verſibus conſcriptorum. *Lud. Vives in lib.* 18. *Aug. de Civit. Dei, cap.* 2.

Euripides tragicorum princeps, cùm pater oraculo accepiſſet, eum victorem in certaminibus futurum, primò athleticę ſtuduit, ita quidem ut Eleuſinico, & Theſeo certamine pugnarit, & coronatus ſit. *Gyrald. Dial.* 6. *hiſtor. poet.*

M. Pompon. Marcellus, pugil olim, poſteà factus grammaticus, in advocatione quadam ſolœciſmum adverſarii tanta acerbitate reprehendit, ut Caſſius Sev. interpellatis judicibus
C dilationem petierit, quoad litigator ſuus alium adhiberet grammaticum: quandoquidem non de jure, ſed de ſolœciſmo controverſia ageretur. *Suet.*

Proæresius Cappadox ſophiſta Athenienſis ſub Conſtantio, corpore firmiſſimus, forma pulcherrimus. *Eunapius.*

DOCTI PRINCIPES.

David, rex Judæorum, primus vario genere carminis laudes Deo optimo maximo ad citharam decantavit.

Salomon ejus filius, Sapientis nomen etiam Chriſti Jeſu benedicti teſtimonio meruit.

Sisyphus Corinthiorum rex, quaſi θεόσοφος dictus. Siquidem deos in Peloponneſo Sius dicunt, & ratione Æolica Syphos dicitur ſapiens. Medicinæ ſtudioſus videtur fuiſſe, & peſtilentiam arte ſua curaſſe, ita ut nulli ampliùs ſua ætate mortales ea perierint, quoad peſtem ſecuta ſunt bella. *Euſtath. Iliad.* 3. *Cæl. l.* 24. *c.* 4. *A. L.*

Artuasdes Armeniorum rex, tragœdias, orationes, & hiſtorias ſcripſit, quæ ad ipſius uſque Plutarchi tempora extabant. *Gyral. Dial.* 5. *Hiſt. poet.*

Antipater Jolai, ſive Juli filius, ex urbe Macedoniæ Pa-
D liura, dux Philippi, deinde Alexandri, & regni ſucceſſor, diſcipulus Ariſtotelis. Scripſit Perdiccæ res geſtas in Illyrio. Solus ex Alexandri ſucceſſoribus Deum appellare Alexandrum recuſavit, impium id eſſe ratus. Vixit ann. 79. Succeſſorem reliquit filium Caſſandrum. *Suid.*

Periander Corinthius tyrannus, doctus adeò, ut inter ſeptem Græciæ ſapientes fuerit connumeratus.

Pisistratus Athenienſes gravi tyrannide preſſit: at ille idem tamen ingenia eorum excoluit, Bibliotheca primò omnium publicata, quam poſteà Xerxes maximi theſauri loco ad Perſas tranſtulit. *Gell. l.* 6. *c.* 17.

Hipparchs Piſiſtrati F. Homeri ſcripta in unum collegit, eaque rhapſodos in Panathenæis memoriter ex ordine recitare coegit. Hermas ſtatuas per vicos, & compita erexit, quibus ethica præcepta inſcripſit ſaluberrima. *Plato in Hipparcho.*

Non inconſultè, & præcipitanter Alexander ad adoriendam Perſarum potentiam profectus eſt: ſed animi ſublimitate, intelligentia, temperantia, fortitudine inſtructus à philoſophia pluribuſque à præceptore Ariſtotele, quàm à Philippo parente præſidiis ſubornatus, in Perſas trajecit. Iliadem, & Odyſ- E
ſeam pro levamine laborum, traducendi temporis, & fallendi otii cauſa comites aſſumpſit: verùm autem ſubſidium præcepta philoſophiæ fuere, & de animi fiducia, de fortitudine, de continentia item, & excelſitate animi commentariis; nempe comperietur ex dictis ſuis, factis, & præceptis philoſophus. Hic docuit enim Hyrcanos fœdera connubialia colere, agriculturam tradidit Araſchoſiis, Sogdianos induxit, ut Patres alerent, non occiderent, Perſas ut venerarentur genitrices ſuas, atque earum abſtinerent connubiis. Eo ſubjugante Aſiam legebatur Homerus. Perſarum, Suſianorum, & Gedroſiorum filii Euripidis, & Sophoclis tragœdias cantabant. Si plurimùm hinc philoſophi gloriantur, quod rudes, & rigidos mores mirificent, & componant: innumerabiles autem nationes, & ingenia fuiſſe ab Alexand. immania apparet flexa: meritò ſummus philoſophus numeratur Alexander. Omnibus denique ut dictis ſic factis ſucclamare licet, Philoſophicè, qua voce complectimur omnia rectè dicta, & facta. *Plut. in orat.* 1. *de fortit. Alex.*

Mamercus Catanæ tyrannus, poematibus ſcribendis, & tragœdiis delectabatur. A Timoleonte Corinthio tandem vi- F
ctus, cùm ſeſe Syracuſanis purgare fruſtrà contendiſſet, abjecto pallio medio ſe proripuit theatro: atque impetu in unum ex cuneis illiſit caput. Spirans adhuc abſtractus inde, & latronum more plexus eſt. *Plut. in Timoleonte.*

Dion. Siciliæ tyrannus, in poeſi ita verſatus, ut tragœdias ſcriberet. Philoſophorum Platonis, & Ariſtippi converſatione ſummopere delectatus, cùm exul Corinthi ludum aperiret, hoc ſibi ex philoſophia præſidii contigiſſe dicebat, quod adverſam fortunam majore animo, quàm ſecundam ferre poſſet.

Hiero Syracuſanus tyrannus, cùm per morbum à politica adminiſtratione feriari cogeretur, Simonidem accerſivit poetam, & ab eo inſtructus, doctiſſimus evaſit. *Æl. l.* 2. *var. hiſtor.*

Ptolemæus Philadelphus, Ægypti rex, Stratonis diſcipulus, omni literarum genere inſtructiſſimus, quamvis infirma valetudine uteretur. Bibliothecam Alexandrinam maximis ſumptibus, ſed majore ſui nominis gloria, & incredibili poſteritatis utilitate conſtrui fecit. Juba pater Ptolemæi, qui primus utrique Mauritaniæ imperavit, ſtudiorum claritate memorabilior etiam, quàm regno miranda prodidit de Atlante: ibique gigni herbam euphorbiam nomine, ab inven- G
tore medico ſuo appellatam: cujus lacteum ſuccum miris laudibus celebrat in claritate viſus, contraque ſerpentes, & venena omnia privatim dicato volumine. *Plin. l.* 5. *c.* 1.

Juba Libyæ, & Mauruſiæ rex, quem Romani captum, & flagris cæſum in triumpho duxerunt, non tamen occiderunt, ob eruditionem. Fuit ſub Auguſto Cæſare, & Cleopatræ filiam Selenem, id eſt, Lunam, quàm è C. Cæſare natam adoptarat, uxorem duxit. Scripſit multa. Didymus Chalcenteros æqualis ejus multa contra eum ſcripſit. *Suidas.*

Romulus cura Fauſtuli paſtoris regii ab ineunte pueritia cum Remo fratre Gabiis muſica, & literis Græcis inſtitutus: inde regnum adeptus, civitatem moribus, & inſtitutis continuò componere eſt adortus, tam politicis, quàm ſacris. Ab eodem quoque annus in decem menſes digeſtus. Quibus nemo non poteſt intelligere, fuiſſe Romulum divinarum, humanarumq; rerum non imperitum, nec ante Numæ regnum populum Romanum ſine moribus, & religione, ut plerique autumant, manſiſſe. *Sab. l.* 1. *En.* 2. Numa Pompilius ſecundus Rom. rex, cùm eſſet ingenio ad omnem virtutem accommodatus, ſeipſum magis per diſciplinarum laborem, philoſophiamque H
excoluit: ut non modò animi deteſtandas perturbationes, ſed laudatam quoque inter barbaros vim, & habendi cupiditatem à ſe moveret. *Plut. in ejus vita.* Corn. Sylla comædias Satyricas lingua Latina compoſuit, teſte *Athenæo.*

C. Jul. Cæs. quem armorum laus, & victoriarum gloria cœlo æquarunt, à ſtudio literarum, quamvis in medio bellorum furore, non abhorruit. Accedit operum fides. Præter enim adoleſcentiæ ſuæ libros (quos publicari, dum bibliothecas ordinat, Aug. vetuit) anni totius ordinem, & biſſexti rationem, quicquid de menſura ævi vetuſtioris ad eum die vel ignotum, vel confuſum fuerat, ſummo ſtudio digeſſit, literiſque, & memoriæ tradidit poſterorum: atque ut in Saturn. ſcriptum eſt, omnem Conſtantiam temporis vagam adhuc, & incertam, in ordine ſtatæ diffinitionis coegit, & edicto palàm poſito publicavit. Scripſit Anticatones duos, ſcripſit & de Analogia auſpiciorum, item (teſte *Suida*) Metaphraſim Phænomenon Arati, & Grammaticam artem. Verùm præter hæc, reerum

à ſe

à ſe geſtarum tam Gallici, quàm civilis belli libros edidit, ſua-
A vi venuſtate. Scripſit poema, Iter dictum: item alia quædam carmina, quæ in Bibliothecis repoſita eſſe teſtatur Tacitus. Captus à piratis: cùm verſus faceret, & illi parum laudarent, eos vocabat homines ſine ſenſu, ac barbaros, dignoſque cruce: quos & paulò poſt liberatus cruci ſuffixit. *Gyral. dial.5. hiſt. poet. ex Suet.*

Cæs. Aug. ſtudia liberalia ab ætate prima cupidè, & laborioſiſſimè exercuit: Mutinenſi bello in tanta mole rerum legiſſe, & ſcripſiſſe, & declamaſſe quotidie fertur. Nec Latinis modò ſed Græcis, in quibus Apollodoro Pergameno præceptore jam ſene utebatur, nec theoricis tantùm, ſed & Philoſophicis delectatus eſt. Librum hexametro verſu ſcripſit, Siciliam dictum: item epigrammata, quæ ferè balnei tempore meditabatur. Tragœdiam Ajacem exorſus, non ſuccedente ſtylo abolevit, quærentique Lucio tragœdiarum ſcriptori, reſpondit Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe. Scripſit & Achillem tragœdiam, & Feſcenninos verſus in Pollionem. Interrogatus Pollio, cur non reſponderet? Non facilè eſt, inquit, in eum ſcribere, qui poſſit proſcribere. *Giral. dial. 5. hiſt. poet.* Orbem quoque deſcripſit, ut ex Itinerario Antonini
B Pii patet, & ex *l.3. Plin.* qui ſe Auguſti ordinem in partitione Italiæ ſequi negat. *Cuſp. A.D.*

Tiberius Cæs. privignus Auguſti, & adoptatus in filium lyrico carmine ſcripſit conqueſtionem de Julii Cæſaris morte, & Græca epigrammata, imitatus Euphorionem, Arianum, & Parthenium: quos in publicas bibliothecas cum ſuis imaginibus repoſuit. Homeri Rapſodias memoriter edidicit. XL. hiſtoriarum libros, impulſore T. Livio, ſcripſit. *Dion. in ejus vita. Volat. l.3. Anthrop. ex Suet.*

Calig. Imp. inter innumera vitia hanc unicam habuit virtutem, quod fuit orator facundus, & peritus, utriuſque literaturæ tam Græcanicæ, quàm patriæ: facilèque intelligebat omnia ad quorumvis orationes reſpondens extempore: & vel in maximis negotiis ſuadendi facultate præditus, ſi quis alius quã vel ingenii felicitate, vel diuturna exercitatione ſibi paraverat: ad cujus laudis æmulationem magnos ſtimulos ei pater addiderat, Tiberii Imp. ex fratre nepos, eximius in hoc ſtudiorum genere, à quo degenerare in hac parte erubuit, qua cæteros cives à tergo reliquerat. *Joſeph. l.19. c.2. Antiq.*

Germanicus ex Druſo Tib. fratre, & minore Antonia natus, triumphavit de Germanis, periitque ſecundo ſuo conſu-
C latu Antiochiæ, veneno per Piſonem dato à Tiberio, cui viri indoles, & gratia apud multitudinem ſuſpecta fuit, eò ad componendum Orientis ſtatum expulſus. Ingenium in utroque doctrinæ genere præcellens, conciliandæque hominum gratię, amoriſque promerendi efficax ſtudium. Triumphales cauſas oravit, reliquitque inter cætera ſui ſtudii monumenta Græcas comœdias, domi, foriſque civilis, & frugi. *Sab. lib.6. Enn.2. ex Suet.*

Claud. Imp. coluit inſigniter Græca, & Latina ſtudia, ſcripſitque utroque ſtylo hiſtoriam bellorum civilium, unum & quadraginta volumina, à Cæſaris dictatoris cæde ad civilem pacem ſeriè deducta. Scripſit & octo de vita ſua magis ineptè, quàm ineleganter. Cyrenaicorum libros XX. Græcè, & Carthaginenſium octo, qui ſtatis diebus Alexandriæ quotannis legi conſueverunt. Veteri literarum numero tria addidit elementa, ſed quæ eo principe tantùm in promiſcuo uſu fuere. *Sab. l.1. Enn.8. ex Suet. Suidas in voce φαῦλος.*

Nero Cæſar liberales diſciplinas omnes pene puer attigit. A philoſophia matris ſuaſu abhorruit, in poetica ambitioſè verſatus eſt. Scripſit Troica, Hymnos, & Tragœdias. In thea-
D tro quoque carmina recitavit tanta hominum lætitia, ut ob recitationem ſupplicatio decreta, atque pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata ſit. Cogitabat de rebus geſtis Romanorum verſibus ſcribere, & evolvit magnum numerum librorum, antequam aliquid componeret. *Dion. & Suet.*

Duo Fl. Veſpaſiani filii, alter deliciæ humani generis Titus, alter flagitium Domitianus. Titus in poetica excellens, ita ut poemata, & tragœdias Græcas ſcriberet. Scripſit de cometa ſuis temporibus viſo præclarum carmen. *Pl. l.2. c.25.* Joſephum Judæum eruditionis ergò, & vita donavit, & maximis affecit honoribus. Domitianus à Quintiliano maximus poeta dicitur fortaſſis adulandi cauſa, quoniam à Domitiano ſororis filiorum inſtitutioni præfectus fuerat. Tacitus eum poeticam non amaſſe, ſed ſimulaſſe ſcribit: ut fratris ſui ſtudia æmulatus, populo gratior eſſet. *Gyral.* In Tito certè memoria ſingularis, docilitas immenſa ad omnes diſciplinas fuit. Græcæ, Latinæque linguæ adeò peritus, ut ſive oraret, ſive poemata fingeret, facilè ſine labore, & penè extempore ageret. Muſicam ita callebat, ut canere, pſallereque jucundè ſciret: Quæcùmque vellet chirographa imitabatur: ut joco, dum per ludum certaret, E falſarius quandoque vocaretur. *Cuſp. A.D.*

Nerva Cæſar Imper. puer adhuc à certaminis dulcedine Tibullus dictus eſt.

Ulp. Trajanus Imp. doctrina non minùs, quàm bonitate, & rerum geſtarum gloria admirabilis fuit. Uſu autem potiùs quàm inſtitutione. *Idem.*

Adrianus Imp. literis, præſertim Græcis, eruditiſſimus, ut etiam Græculus appellaretur. Arithmeticæ, & Geometriæ peritiſſimus. Pinxit egregiè, muſicam excellenter calluit, Aſtrologiam ſimiliter, ut Marius Max. dicat eum cuncta de ſe ſciſſe, & omnium dierum uſque ad horam mortis futuros actus antè perſcripſiſſe. Cùm omnes profiteretur artes, omnes excogitabat doctores, ſæpe aliqua propoſita quæſtione certando. Et Alexandriæ quondam in Muſæo multa & propoſuit, & ſolvit. Extant adhuc quædam ejus Epigrammata Græca, valdè lepida. In carminibus facilis, ut cùm poetis extempore quoque certaret. Multa amatoria certamina de dilectis ſuis, quos Catamitos honeſtiore vocabulo appellare ſolebat, ſcripſit. Compoſuit & alia, quæ amicis dabat publica ſuis nominibus Plegontis Tralliani liberti à ſecretis, libri Olympiadum ejus F eſſe creduntur. Homerum abolere, & ejus loco Antimachum introducere in ſcholas conabatur. Ennium Virgilio, Catonem Ciceroni, Cælicium Salluſtio præferendos cenſebat. Moriens hos verſus fecit:

Animula vagula, blandula,
Hoſpes, comeſque corporis.
Quæ nunc abibis in loca
Pallida, rigida, nudula?
Nec, ut ſoles, dabis jocos. Volat. lib.23. Anthropol.

L. Ceionius Commod. Ælius Verus Cæſar dict. ab Adriano adoptatus, omnifariam literis eruditus, immatura morte obiit. In lecto ſemper habuit Ovidii, & Apicii libros Amorum: Martialem Virgilium ſuum appellebat. Carmine facilis fuit.

M. Ant. Rom. Imp ſub Sex. Boetio philoſopho præceptorē adeò in philoſophiæ ſtudiis profecit, ut Stoicorum præcepta ad unguem didicerit, atque ob philoſophiæ excellentiam Philoſophus ſit cognominatus. In rhetoricis, & philoſophiæ præceptis Cor. Frontonem, & Herod. præceptores habuit. Sub eo certè magna hominum multitudo philoſophiæ operam dare cępit, quæſtus, & honorum ſpe ſcripſit de *vit. ſua l.12. Suid. Dion, & Xip.* G

L. Verus Antonin. carminũ tragicorum maximè ſtudioſus diſcipul. Scauri grammatici, & Valerii Hippocrationis Græci rhetoris. In pueritia verſus fecit. Mox ſe orationibus tradidit, meliorq; orator factus eſt, quàm poeta. Apud Altimum apoplexia periit, cùm an. XI. cum M. Antonino regnaſſet. *Gyraldus.*

Pub. Ælius Pertinax Ligur, Imp. doctiſſimus, & in poetica eruditus.

Opilius Macrin. Imp. in Africa exulans, verſus, & epigrammata multa compoſuit. Ut & Clodius Albinus, qui à Severo occiſus fuit Lugduni, cùm Imp. nomen aſſumpſiſſet. Georgica ſcripſit, & fabulas Mileſias. *Gyraldus.*

Sept. Severus Imp. acutiſſ. & excellentiſſ. ingenio, ſtudioſus bonarum artium, præſertim Matheſeos, conſilio plus, quàm verbis poterat. Otiũ à gravioribus negotiis nactus, in Græci, Latinique ſermonis ſtudio verſabatur: Punica tamẽ lingua promptior. *Dion Nicæus, & Volat. lib.23. Anthrop.* Vitam ſuam publicam, privatamque ipſe compoſuit, & quæ in vita ſua conſcripſit, publicè in tabulis picta dedicavit, teſte *Herodiano*.

Alexander Severus, Mammeæ filius, gente Syrus, virtute ad Imperii culmen in primo flore ætatis evectus, fuit præclarus H poeta, & orator: ſed Græca magis, quàm Latina lingua. Bonorum principum vitas verſibus ſcripſit: modulatè etiam cantavit, ſed nunquam alio conſcio, niſi pueris ſuis. Virgilium aſſiduè legebat, eumque poetarum Platonem appellabat. In aruſpicum quoque diſciplina excelluit.

Senior Gordian. fertur libris XXX. vitas Antonini pii, & Marci carmine ſcripſiſſe: quos Antoniniades, ut Virgilius Æneidos, & Statius Achilleidos, inſcripſerit. Item cuncta illa, Cicero ex Demetrio, & Arato vertit, & Alcionas, & Uxorium, & Nilum.

Balbinus cum Puppieno, & Gordiano juniore à Senatu Imp. creatus, nobili genere ortus, ingenio nobilior: ſcripſit multa poemata.

Galienus Imp. proſa, & carmine clarus, cùm fratrum ſuorum filios matrimonio jungeret, omneſque poetæ Græci epithalamia dixiſſent per dies plurimos, ille cum nubentium teneret, ita ceciniſſe fertur:

Ite

Ite ſimul pueri, pariter ſudate medullis
A *Omnibus inter vos: non murmura veſtra columbæ,*
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

Quod carmen inter centum poetas præcipuum habitum fuit. *Gyraldus.*

Saturninus oriundus ex Gallis, quem Aurelianus ducem limitis Orientis conſtituerat, præcipiens, ne unquam Ægyptum videret, contempto præcepto principis, Ægyptum intravit, & ibi Imperat. ſalutatus eſt. Vir fuit magnæ litteraturæ, quæ vel ex oratione ejus cognoſcitur, qua difficultatem imperandi copioſè enarrat. *Vopiſcus.*

Numerianus Imp. Cari F. (cui Mars in armis familiare numen præbuit, Minerva peculiaris aſſuit, & citharam præbuit Apollo) miles, orator ſimul, & poeta, à ſocero ſuo Apro occiſus, tanta fuit eloquentia, ut ſtatua illi decerneretur in bibliotheca Ulpia, cùm tali ſubſcriptione: Numeriano Cæſari oratori temporibus ſuis potentiſſimo. Poetas omnes ſuæ ætatis vicit, geſta parentis jambis deſcribendo. *Cuſp. A.D.*

Constantinus Magnus & in imperio propagando fortunatiſſimus fuit, & in eodem adminiſtrando prudentiſſimus. Quorum etſi utrumque Chriſtianæ religioni, quam primus
B eſt amplexus, acceptum referri debet: conſtat tamen, illum ex literis non ornatum tantùm, ut multi credunt, verùm etiam fructum maximum cepiſſe.

Julianus Imp. ingenio, & literatura mirabili præditus fuit, cujus extant Orationes, & Epiſtolæ Græcè conſcriptæ. Ejus quoque amicitiam, atque domum frequentavere nobiles ſophiſtæ, dicendique magiſtri. Libanius inprimis, Oribaſius, Proæreſius, Maximus philoſophus, Ammianus Marcellinus, qui comes ejus expeditionis fuit, ejuſque vitam diligentiſſimè conſcripſit *Volat. l.43. Anthrop.* ſcripſit de Cæſaribus ab Auguſto exorſus: de tribus figuris, Saturnalia, Miſopogonem. id eſt, Oſorem barbæ: ad Cynicum Heraclytum, quo pacto ſecta Cynica tractanda ſit: Epiſtolas omnis generis, & alia. Septem libros verbis petulantiſſimis contra Chriſtum effudit, quibus reſponderunt Methodius, Euſebius, atque Apollinaris, teſte Hieronymo. Idcircò fuit quibuſdam dictus Gręcanicus litterio, loquax talpa, græculus fallax, & ſub ſpecie ſapientiæ, ſtolidus. *Suidas.*

Jovinianus Imp. ſanctiſſimus, Juliano crudeliſſ. Chriſtianorum hoſti ſuccedens, & religione, & eruditione clarus fuit. Et magna jam de illo ſpes erat concepta: ſed in ipſis imperii
C auſpiciis tantùm decus mors terris abſtulit. At Græci gentiles, religionis odio, indoctiſſimum appellabant.

Theodosius Major, princeps optimus, & doctiſſimus, quem (ſi pauca demas) omnes principes tanquam ideam quandam imitari deberent.

Gratianus filius Valentiniani Imperatoris, & Severæ Auguſtæ, genitus Syrmii, litteris ab ineunte ætate inſtitutus. Auſonio præceptore, carmen facere, ornatè loqui, explicare controverſias more Rhetorum ſolitus, pleriſque fuit admirationi. Quare pater vix puberem, imperii inſignibus ornatum, Auguſtum appellavit. *Cuſp. A.D.*

Coſroes Perſarum rex, licèt barbarus, ſtudio tamen, & aſſiduo labore eo pervenit, ut philoſophiam, diſciplinaſque omnes Græcorum aſſecutus, & par ſummis philoſophis habitus ſit. *Agathias.*

Nicephorus Cotoniates Imp. Conſtantinopolitanus ſtudiis tantùm vacabat, ut inutilis planè Reip. videretur.

Leo V. literis, ac Aſtronomiæ deditiſſ. Baſilii filius, Philoſophus cognominatus, anno Chriſti 887. Orientis imperium per 25. annos tenuit. Ejus filius Conſtantinus Ducas, cujus
D liber ille celebratus eſt, quem moriens Romano filio reliquit, in quo ſummam totius imperii, fœdera, hoſtium vires complexus eſt, quem Veneti hodie ſervant in ſua Bibliotheca. Hujus fortaſſe ſunt XX. illi libri de re Ruſtica, qui hodie leguntur. Hujus filius, & Michaelis Pſelli philoſophi, & chymiſtæ inſignis diſcipulus fuit Michael Ducas, Parapinaceus dictus (à fame, quæ in exordio ejus principatus Conſtantinopolim invaſerat) cætera ignavus, niſi quòd bonis artibus, & in primis factitandis verſibus à Pſello inſtitutus fuit. *Gyraldus Dial.5. hiſt. poet.*

Manuel Comnenus Imp. Græcorum, natura facundus, non elegantes tantùm epiſtolas ſcribebat, ſed & religionis inſtitutiones parturiebat, ac publicè declamabat. Tandem etiam de divinis dogmatibus, & de ipſo Deo diſſerebat: ſæpè etiam dubitationem præ ſe ferens, quæſtiones è Scripturis proponebat: ſed ea pertinacia, ut quæ rationibus non poſſet, auguſta auctoritate conaretur evincere. *Nicetas l.7.*

Carolus Magnus, non ſolùm patria lingua, ſed etiam peregrinis linguis eruditus: carmina, quibus veterum regum bella, & acta canebantur, emendavit. Inchoavit etiam Gram- E maticam patrio ſermone. Menſibus anni juxta Teutonicam linguam vocabula impoſuit: ventos etiam duodecim propriis nominibus appellavit, cùm antea quatuor Cardinales venti tantùm nominarentur. *Sigeb. & Æmilius l.2. Regum Franc.*

Inter omnes principes Germanos ab expeditione Jeroſolymitana redeuntes, Paulus I. Pontifex Romæ regiis ſumptibus Arnoldum principem Egmontanum ſolùm excepit, eruditionis nomine. Gulielmus frater his ſtimulis motus, quàm primùm domum rediit, filios omnes literis imbuendos Lutetiam miſit: nec priùs in patriam revocavit, quàm Philoſophiæ laurea inſignitos accepit. *Reinhardus Hadam. in Inſtit. Princ.*

Fridericus II. Imp. Latinam, Græcam, Saracenicam, Gallicam, & Germanicam linguas optimè calluit. Otium omne lectioni librorum tribuebat. Libros multos ex Græco, & ex Arabico Latinos fieri curavit, inter quos & Ariſtotelis volumina fuere, & multa medicorum. *Cuſp. A.D.*

Gothorum, poſt ſubactam Meſiam, Thraciam, & Valachiam vetuſtiſſ. rex fuit Zenta, philoſophus doctiſſ. qui ut erat virtute, & religione inſignis, Gothos ſuos (quos ob ſubactam, & poſſeſſam Scytharum regionem Scythas Græci di- F xere) humanioribus aſſueſcere legibus ſtuduit. *Joannes Magnus l.1. c.33.*

Theodatus Gothorum rex in Italia, ita Græcis, & Latinis literis edoctus fuit, ut & temporum ſuorum hiſtoriam eleganter ſcripſerit, & Platonicam diſciplinam optimè calluerit: ſegnis tamen ad res agendas habebatur. Hortante Amalaſunta uxore, Burgundiones, & Alemannos felicibus præliis ſuperavit. *Platina.*

Aistulfus Longobardorum rex, tantæ litteraturæ fuit, ut edicta Longobardorum in leges retulerit. *Platina.*

Robertus Hugonis Capeti F. rex Francorum, doctrina, & ſanctitate omnes reges Chriſtianos ita anteibat, ut diſputationibus nulli ſecundus haberetur: longè aliter ſentiens, quàm quod noſtrorum templorum reguli arbitrantur, nequaquam principe dignum eſſe dictitantes, ſcire literas: cùm eos maximè deceat, qui populos regunt, bene gubernandi rationem ex præceptis colligere: quod fieri ſine doctrina, & lectione non poteſt. *Plat. in Joan. II.*

Alfredus Oſuvii regis Northumbrorum filius ex concubina, regnante Egfredo fratre, exilii otium literis tribuens, doctiſſimus evaſit. Hinc adeptus regnum, hoſtium injuriis de- G veſtatum, bonis artibus inſtaurandum curavit, & contentus finibus, quos poſt cladem fratris è Pictis victoribus recipere ſine certamine potuerat, paci, ac honeſto otio ſtuduit, atque ab externis armis per decem, & novem imperii annos quievit. *Polyd. l.4.*

Joannes, Henrici Magnopolenſis ducis filius, diù litteris inſtitit apud Pariſios, factus in Theologia magiſter: reverſus in terram, irriſione ſuorum literas contemnentium, appellatus fuit, patrio nomine, Kneſe Janike. *Crantzius libro 7. Vand. c.42.*

Andreas Dandulus, Venetus dux, duplici ſtylo (ut Cariſinus prodidit) res Venetas ſcripſit: priore magis fuſo, & ob id fortaſſis minùs eleganti: altero cohibito, & in quo plus omnino fuit elequentiæ, qualis videlicet eſſe potuit in ejus ætatis homine. *Sab. l.6. En.9. & l.3. Dec.1.*

Alfonsus X. Caſtellæ, & Legionis rex 38. in regem Rom. electus, ſapientiæ nomine toti Chriſtiano orbi notiſſimus, aſtrologia ita delectabatur, ut vulgò Aſtrologus vocaretur. Circumferuntur tabulæ Aſtrologicæ ejus nomine. Fuit etiam legibus deditiſſimus. Omnium ferè populorum, & gentium H de legibus volumina evolvit: ac ſeptem libros pro æquitatis moderatione, quos Partitas vocant, collegit: ut & hominibus & divino cultui neceſſaria ſingulis innoteſcerent. Univerſi præterea orbis hiſtoriam, quam Generalem Hiſpani vocant per Coſmographos ſcribi curavit: Ob ingenium toti orbi erat quam commendatiſſimus. *Ritius l.3. Reg. Hiſp.*

Alphonsus ſenior Calabriæ dux, avus Alfonſi regis, nunquam ſine libris in expeditionem proficiſcebatur: ex quibus magno ſuo cum fructu longè meliùs præſtantiſſimorum virorum virtutes ſe cognoſcere poſſe affirmabat, quàm ex mutis imaginibus. Antonium Panormitanum veteres auctores interpretantem, quamvis maximis curis preſſus, diligentiſſimè audiebat, *Pontanus in lib. de Principe.*

Alfonsus Aragonum, & Siciliæ rex potentiſſimus, dicere ſolebat, ſe malle privatum vivere, quàm eruditione carere. Cæſaris Commentarios in omnibus expeditionibus ſecum habebat. Capuæ dum ægrotus decumberet, lectione Q. Curtii

ſeſe

ſeſe curatum fuiſſe aſſeruit: Febricitans cum Auriſpa viro do- A ctiſſimo multa de literarum ſtudiis, & erroribus Hieronymi hæretici contulit. In urbium direptionibus libri ex præda omnes ad eum magni muneris inſtar deferebantur. Librum apertum pro ſuo inſigni gerebat. Joannes denique Eſernitanus, acerrimi judicii vir, de Alfonſo dicere ſolebat: Niſi rex fuiſſet, philoſophum eximium futurum fuiſſe. *Panorm. de reb. geſtis Alfonſi.*

Casimirus I. Polonorum rex, è cœnobio Cluniacenſi ad regnum vocatus, primus inter reges Poloniæ litteris mediocriter eruditus fuit, circa an. Chriſti 1040. *Cromerus l.4.*

Joan. Bapt. Campoſulgoſus, Genuenſium Reip. aliquandiù præfuit, in exilium poſteà pulſus, optimarum literarum ſtudiis, hiſtoricorum præſertim, ſe dedidit, & præclarum opus Exemplorum edidit: cujus auctoritatem nos in hoc noſtro Theatro ſæpiùs adducimus, ſub nomine Fulgoſi.

Erat Bajazetes II. Turcarum Imp. tantæ doctrinæ Philoſophus, ut Averrois placita ſecutus, nequaquam totas Mahometis Prophetæ fabulas admitteret: in hac perſuaſione Mahometi patri diſſimilis, qui cùm duo tantùm numina Virtutem, & Fortunam viris colenda prædicaret, religiones omnes ex- B ploſiſſet. *Jovius in Conſalvo.*

Ladislaus rex Hungariæ, ac Bohemiæ, quamvis adhuc puer, cùm eſſet Romæ, non videri ſibi ajebat homines, qui literas ignorarent. *Æn. Syl. l.3. Com. in Panorm.*

Mathias Pannoniæ rex, à teneris feliciter didicit linguam Latinam, ut etiamnum puer maximis negotiis eſſet orator, & interpres patris. Ad regnum evectus, artes honeſtas in primis dilexit, & multos eruditos ad magnas dignitates evexit. Inſtruxit bibliothecam maximo ſumptu, ex qua noſtra ætate prodierunt utiliſſimi libri. *Polybius, Diod. Sic. Nicephor. & alii.*

Otho comes de Truchburg cum doctiſſimis Italis animi cauſa, tam ligata, quàm ſoluta oratione certavit. Papiæ verſatus in Rectorem Academiæ electus eſt. *H. Henniges in geneal.*

Laurentius Medices Petri F. princeps doctiſſ. inſtitutione, & domeſtico exemplo matris, feminæ omni virtutum genere, inſuper & eruditione inſtructiſſimæ, evaſit: Joannes Argyropoli Peripatetici ſimul, & Marſilii Ficini Platonici præceptionibus Poeticis ita delectabatur, ut Satyram non cupidè ſolùm legerit ab aliis ſcriptam, ſed ipſe quoque ſcripſerit, facilitate quadam mirifica. *Brutus hiſt. Flor. l.5.*

Ea ingenii ſubtilitate Solymannus Turcarum Imp. fuit, ut C non modò ſacris literis, quibus ſuperſtitionis ſuæ leges continentur, eſſet eruditus, ſed Aſtronomiæ, Coſmographiæque præſertim, curioſè operam daret, Hammone medico ex Betica oriundo perdocente: cùm vir acutus ſingulas terrarum regiones, ſinuſque maris in membranis, depictiſque orbibus demonſtraret, ut inde regius animus per otium utili, & peramœna delectatione caperetur. *Sab. ſupplem. l.24.*

Magna etiam ingenii facilitas, tenaxque memoriæ propoſitum in Alberto primo Brabantiæ Duce, nuper vita functo, fuit: ut qui omnibus liberalioribus, ac Principe dignis diſciplinis à teneris animum adjecerat Geometriæ, & coſmographię deditus, artis quoque pictoriæ cultor, & admirator egregius, nec ullus erat ingenii fœtus, dummodo honeſtus foret, & ab induſtria proficiſceretur, in quem non avidè ferretur. Callebat potiſſima Europæ idiomata, cultæque latinitatis ſermonem promptè depromebat. Videtur *oratio funebris, habita in exequiis ejuſd. à Laur. Beyerl. edita apud Moretum Antuerp.*

Docti Pontifices, Episcopi.

Albertus de Rickmerſtorpe villa, ruſtico patre natus Pariſiis tantùm nominis meruit ab ingenio, ut pontificatum D Halberſtadenſem in patria acciperet. Extant de ejus nomine, quæ vocantur Alberti Sophiſmata: præfuitque Eccleſiæ annis viginti quatuor. *Crant. l.9. Metrop. c. ult.*

Cæterùm præſens titulus illuſtretur ex loco *de religione*, cum numerus pontificum, & Epiſcoporum, qui doctrinæ gloria claruerunt, & illius famam per monumenta edita prorogarunt, definiri non poſſit. Conſulatur *Tit. de Pont. Rom. & Epiſc. Item tit. ſeq.*

DOCTRINA JUNCTUM HABENS MALUM
Aliquod Externum Corporis, Fortunæve.
Hujus ſunt generis

DOCTI VALETUDINARII.

☞ *Conſule Tit. eorum, quot à ſtudio ſapientiæ ne morbi quidem corporis avocare potuerunt.*

Mulieres Doctæ.

☞ *Sexus muliebris cum virili collatus, ſive animum, ſive corpus ſpectes, debilior, & imbecilior eſſe videtur, eaque de* E *cauſa hìc inter mala connumeratur, qui alioqui ratione ſui ſinis inter Bona locum obtinere meretur. Jam quoad præſens inſtitutum, cùm ingenii acumen ex frigidiore ſanguine, & pura cerebri ſubſtantia proveniat, ut phyſici docent: mulieribus in univerſum non minus ingenii ineſſe exiſtimandum eſt, quàm viris: ſigillatim verò, ut inter viros, mulieroſos, ſic inter feminas, viriles dari animos, ipſa docet experientia. Præclarè Chorus apud Eurip. in Medea.*

ἀλλά γάρ ἐστι
Μοῦσα καὶ ἡμῖν, ἣ προσομιλεῖ
Σοφίας ἕνεκεν. πάσαισι μὲν οὔ.
Παῦρον δή μένος ἐν πολλαῖσιν
Εὕροις ἂν ἴσως
Κ'οὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν.

At enim eſt Muſa, & nobis, quæ nobiſcum verſatur propter ſapientiam: omnibus quidem non: paucum ſanè genus inter multas invenires, forſan, & non indoctum mulierum.

☞ *Innuit, fortuna potius, & occaſione, quàm natura, mulieres à viris ſuperari inveterata opinione, nihil magis à muliere alienum eſſe, quam pro lana, atque colo literas tractare. Ac-* F *cedat inſtitutio, & eruditio: non pauciores feminas doctas, & eruditas videbimus, quàm viros. Conſule Tit. Poetarum.*

Muſas, uti & reliqua Gentilium numina, virgines doctas, & pudicas fuiſſe, veriſimile eſt, quibus ſtulta vetuſtas veri Dei ignara, divinos honores poſt obitum tribuit. Eas plurimi ſcriptores tradunt Jovis, & Mnemoſynes, hoc eſt, Memoriæ filias: pauci ex poetis, in quibus eſt Alcmæon, filias eſſe cæli, ac terræ ajunt. In numero quoque diſſentiunt. Quidam tres, alii novem aſſerunt extitiſſe. Verùm novem numerus invaluit, comprobante Homero, & Heſiodo. Harum cuique ſua officia tribuunt, eorum, quæ ad muſicæ artem ſpectant. Multi aſſerunt, eas fuiſſe virgines, quoniam virtutis diſciplina incorrupta eſſe videatur. Muſas ἀπὸ τοῦ μῶσαι dictas, ab inveſtigando, quòd homines bona, utiliaque docent, & quæ ab indoctis ignorantur. Clio propter gloriam, quæ ex poetarum laudibus oritur, dictam volunt. Euterpem, propter voluptatem, quæ ab audientibus ex honeſti eruditione percipitur. Thalia, quòd in longum tempus poetarum laus parta vireſcat. Melpomenem à melodia, qua audientes demulceantur. Terpſichorem, eò quòd audientes oblectat propter bona, quæ proveniunt ex doctrina. Erato, quòd docti homines G ab omnibus amentur. Polymniam, quoniam cantus ſuavitate poetas reddit gloria immortales. Uraniam, quòd viros eruditos ad cælum tollat. Gloria enim, ac ſapientia elevat animos ad cæleſtium contemplationem. Calliopem, quòd cantus ſuavitate cæteras antecedens, magni ab auditoribus æſtimetur. *Diod. l.4. c.1. & Pauſ. in Bœot.* Phurnutus in Muſis, Tzetzes in Heſiodum. *Cic. de natura Deorum 3. & Plut. in Sympoſ.*

Nicaula regina Saba, ex intima Æthiopia ad Salomonem regem Jeroſolymas profecta, arduas quæſtiones regi propoſuit. Quas cùm ille pro ea, qua præditus erat, ſapientia ſolviſſet, in regnum ſuum, & eruditione, & fœtu, quem ex Salomone concepto utero geſtabat, auctior rediit, Cambyſes rex miratus ejus ſapientiam cognominavit nomen ejus Meroen, teſte Joſepho: qui idem aſſerit, eam non ſolùm Æthiopiæ, ſed & Ægypti regnum tenuiſſe. *Hier. tom.8. hom.2. in Cantica.*

Manto Tireſiæ vatis filia (quæ Mantuæ nomen indidit) doctrina, & vaticiniis claruit: adeò ut ex pecudum fibris, extorumque intuitu futura præſagiret. *Raviſius.*

Nicoſtrata, ſeu Carmentis, Græcas literas impensè docta, pleraſque ex Latinis primùm reperit. A cujus nomine carmi- H na Latinis ſuam traxere appellationem.

Hermodicam uxorem Midæ regis Phrygiæ, non elegantia formæ tantùm præſtitiſſe perhibent: verùm etiam ſapientia, & induſtria præditam fuiſſe dicunt, & primam Cymenſibus numiſma percuſſiſſe. *Heraclides.*

Aspasia Mileſia in ſtudiis philoſophicis abundè promovit, Rhetoricen exercuit Periclis magiſtra, & tandem uxor. *Plut. in Pericle.* Ejus in politica facultate præcepta Socrates ſecutus eſt: ſicut etiam Diotimæ, quam paſſim magiſtram ſuam appellare non veretur.

Laſteniam Mantineam, & Axiotheam Phliaſiam, Platone uſus præceptore, ſcribit Dicæarchus, ornatuque interim virili auditorium ingreſſus. *Laert. Cæl. l.14. c.1.*

Themiſta Leontei Lampſaceni uxor, unà cum marito Epicurum audivit, ad quam ſcripſit quædam Epirus. *Laertius lib.10. in Epic.*

Arete Ariſtippi Cyrenaici philoſophici filia, poſt patris mortem

mortem ſcholam rexit, & filium ſuum Ariſtippum philoſo- A phiam docuit. *Laert. lib.2. in Ariſtippo.*

Apud Athenæum eſt Anagallis Corcyræa illuſtris arte grammatica, quæ inventionem pilæ aſcripſit Nauſicæ. *Cælius l.12. c.1. A.L.*

Olympias Thebana de mulieribus ſcripſiſſe videri poteſt, cum *Plin. lib.28. cap.19.* in remediis muliebribus ejus utatur auctoritate.

Theano Metapontina, vel Thuria, Pythagorea, filia Leophrontis: uxor ſive Caryſti, ſive Crotonis, ſive Brotini Pythagorei: ſcripſit de Pythagora, de virtute ad Hipodamum Thurium, admonitiones muliebres, & ſcitè dicta Pythagoreorum.

Fuit alia Cretenſis filia Pythonactis, uxor majoris Pythagoræ, ex quo ſuſcepit Telangen, Meneſarchum, Myan, & Arignotem. Quidam Clatini uxorem fuiſſe tradunt, & genere Crotoniatidem. Scripſit commentarios philoſophicos, & Apophthegmata, & poema quoddam verſibus hexametris. Tertia Locrenſis lyrica, ſcripſit lyrica, & carmina. *Suidas.*

Arignote Samia, diſcipula Pythagoræ majoris, & Thea- B ni, philoſophi, Pythagorica, ſcripſit Bacchica epigrammata de Cereris myſteriis, Initia Bacchi, & alia Philoſophica. *Suid.*

Pamphile, Epidauria filia Soteridis, uxor Socratidis, ſcripſit Hiſtoricos commentarios libris 33. Epitomen Cteſiæ l.3. Epitomas hiſtoriarum, aliorumque librorum plurimas. De controverſiis de rebus Venereis, & aliis multis. *Suidas.*

Dama Pythagoræ filia ingenium, & doctrinam, in exponendis paternis ſententiarum involucris exercuit. *Laert.*

Themistoclea ſoror Pythagoræ: cujus placitis, & opinionibus pleriſque in locis uſus eſt Pythagoras. *Fulg. l.8. c.3.*

Istrina Scytharum regina, Aripithis uxor, Sylem filium Græcam linguam, literaſque docuit. *Herod. in Melpon.*

Thargeliam feminam ſola illuſtravit philoſophia. *Plut. in Pericle.*

Philoſophicis diſciplinis valdè excelluit Hipparchia, Metroclis ſoror, Cratetis Cynici uxor. *Laertius.*

Leontium, Græca adoleſcentula (Gellio meretrix) philoſophicas diſciplinas adeò ſectata eſt, ut etiam non dubitaverit, cum magna ſui nominis laude, in Theophraſtum, philoſophum laudatiſſimum, ſcribere. Unde natum proverb. Suſpendio arborem eligendam. *Fulg. l.8. c.3. Plin. in prol. Nat. hiſt.* C *Cic. de Nat. deor. & Volat. l.16. Verb. com.*

Hortensia, Hortenſii oratoris fil. patrem ita effinxit dicendo, ut honeſtiſſima, & venerabilis femina, orationem ad Triumviros Reip. conſtituendæ habuerit, pro ſexu ſuo: quam poſterior ætas non modò in admirationem, & laudem muliebris facundiæ, ſed ad imitationem quoque legit, ut Ciceronis ſcripta, vel Demoſthenis. *Lud. Vives de Chriſtiana femina l.1. ex Val. Max. l.8. c.3.*

Cornelia filia Africani, & Gracchorum mater ornatiſſimè ſcriptas reliquit epiſtolas, unde & filiorum fluxit eloquentia, teſte *Cic. in Bruto.* Circa literas, circa fides, circa geometrica perita erat. *Plut. in vita Gracchorum.*

De filiabus Lælii, & Q. Hortenſii ſic inquit *Quintil. l.1. c.1.* Lælii filia reddidiſſe in loquendo paternam eloquentiam elegantiorem dicitur. Et Q. Hortenſii filiæ oratio apud Triumviros habita legitur, non tantùm in ſexus honorem.

Licinianum in dicendo lepos, à patre L. Craſſo emanavit. *Cicero in Bruto.*

Mutiæ duæ filiæ ab utroque parente eloquentiam didice- D re. *Idem.*

Cn. Pompejus, mortua ex partu Julia, jam grandis, uxorem duxit Corneliam, Metelli Scipionis filiam, viduam nuper relictam à Publio Craſſi filio, cui collocata virgo fuerat, apud Parthos interfecto. Ei præter ætatis florem multæ veneres inerant. Nam literis, lyra, muſica, & geometria erat exculta, præceptiſque non ſine fructu imbuta philoſophicis. His accedebat morum gravitas ab omni acerbitate, & curioſitate aliena: quibus ſcilicet illæ diſciplinæ imbuunt juvenculas. Fugiens ex acie pharſalica, comitem eam errorum habuit. Alexandriam ad Ptolemæum proficiſcens, eique vale dicto, in ipſius oculis ab Achilla trucidatus eſt. *Plut. in Pompejo.*

Fulvia, M. Antonii uxor, Curioni anteà nupta, non muliebres artes edocta, ſed magiſtratus regere, & imperare. *Volat. l.16. Anthrop.*

Luceja mima, auctore Plinio, centum annis in ſcena pronunciavit.

Statius Papinius uxorem habuit nomine Claudiam, magno ingenio, doctrinaque non vulgari præditam.

Paula Senecæ mariti doctrina inſtructa, mores quoque æmu- E lata eſt. Seneca idem Albinam matrem ſuam ſapientum præceptis, mariti juſſu, imbutam tantùm, non item eruditam dolet. *Lud. Vives de Chriſtiana femina l.1.*

Julia Augusta, Severi Imperatoris uxor, à Plantiano multis, & atrocibus affecta injuriis, cùm inquiſitiones contra eam, & quæſtiones de nobilibus matronis inſtitueret, illa philoſophari cœpit, & virorum ſapientum uti familiaritate. *Suidas.*

Theodoſii Junioris Imp. uxor Eudoxia, eloquentiſſ. Leontii, ſive Leonis philoſophi Athenienſis filia, heroico carmine poemata multa conſcripſit. Homeri Centones concinnavit, cùm patricius quidam opus imperfectum reliquiſſet. Hanc Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſacro baptiſmatis fonte abluit, & cùm priùs Athenais vocaretur, Eudoxiæ nomen impoſuit. Eudoxiam filiam Theodoſio genuit. Valentinianus Imp. uxorem accepit. *Cuſp. A.D.*

Pulcheria, Arcadii Imp. filia, nondum annos XV. nata, imperium optimè adminiſtravit, fratrem Theodoſium literis, boniſque moribus inſtituit, ſorores Marinam, & Arcadiam, ut idem facerent, impulit: multas Eccleſias, peregrinorum di- F verſoria, monaſteria condidit, & redditibus inſtruxit. Sæpè etiam numen ei ſe oſtendit. *Suidas.*

Anna, filia Alexii Comneni Imp. uxor Bryennii exquiſitè atticiſſans ingenioque prædita acutiſſimo ad abſtruſiſſimas quaſque contemplationes, partim naturæ bonitate, partim induſtria propria. Affixa erat libris, & eruditionem conſuetudine haud obiter utebatur. *Zonaras.*

Fabiola Romana mulier, cùm magno ſtudio ſacras literas amplecteretur, Prophetias, Evangelia, & Pſalmos frequentiſſime revolvebat: ut iterata plerumque lectio amorem divinæ religionis (quo flagrabat) augeret magis. Unde & *D. Hieronymus librum de veſte ſacerdotali*, eidem nuncupavit.

Marcella Romana, propter Sacras literas (quas egregiè callebat) frequentibus epiſtolis à D. Hieronymo ſalutata eſt. Ad eam enim ſcripſit de Mundi contemptu, de decem nominibus, quibus apud Hebræos dicitur Deus, de Fide noſtra, & hæreticorum doctrina, de Blaſphemia in Spiritum ſanctum, de Studio Theophili Epiſcopi Alexandrini, & alia id genus permulta.

Eustochius, Paulæ Romanæ filia, Latinarum, Hebraicarum, & Græcarum literarum ſtudiis plurimùm excelluit, un- G de & ſuo tempore novum orbis prodigium vocata eſt. Ingenium ſacris literis devovit maximè, adeò ut Pſalmos Hebraicè legeret curſim, & mira celeritate. Teſte *D. Hieron.*

Hypatia Alexandrina, Theonis geometræ (quem ingenio ſuperabat) filia, uxor Iſidori philoſophi, vixit imperante Arcadio. Scripſit commentarium in Diophantem, aſtronomicum Canonem, in Conica Apollonii. Profeſſa eſt Alexandriæ varia diſciplinarum genera magno, & frequenti auditorio, convolantibuſque turmatim, & undecunque diſcipulis. Hanc crudeli mortis genere quidam æmuli ejus gloriæ ex clero Alexandrino affecerunt, in eam prodeuntem ex ædibus ſtipatam doctorum agminibus impetu facto, quaſi per eam ſtaret; quò minus Oreſtes præfectus cum Cyrillo Epiſcopo Alexandrino reconciliaretur. Diffidebant autem, propterea quòd Cyrillus Judæos per vim Alexandria expelli curaverat. *Socrates lib.7. c.15. & Suidas.*

Zenobia regina Palmyrænorum, Græci, Ægyptiique ſermonis peritiſſima, & Latini non ignara. Scripſit epitomen in Orientalem, Alexandrinamque hiſtoriam. Herennianum, & Timolaum filios literis erudiit. Elegantiſſimas orationes ad mi- H lites ſuos plerunque habuit, quas galeata recitabat. *Pollio Trebellius & Fulg. l.8. c.3.*

Ædesia Alexandrina, Syriani philoſophi propinqua, magna & caſtitatis, & doctrinæ fama à Suida commemoratur. *Volateranus l.53. Anthrop.*

Sosipatra, circa Epheſum in campis Cayſteriis nata, patre Græco viro locuplete, quinquennium attigerat, cùm duo ſenes, manticis inſtructi, pelliti ambo, in prædium paternum Soſipatræ venere, & villico perſuaſere, ut ſibi curam vineæ committeret. Hic cùm proventus præter ſpem extitiſſet copioſior, prædii dominus eos menſæ ſuæ adhibet. Illi formæ Soſipatræ ſauciati, patri perſuadent, ut ſibi prædium cum Soſipatra in quinquennium concedat. Paret ille, peregrinum abiit: exacto quinquennio redit: facta poteſtate filiam quidvis interrogandi, admirandam ejus ſapientiam cognoſcit, cùm quæcunque ſibi eo, quinquennio abſenti contigiſſent, tanquam præſentia narraret. Itaque cùm filiam deam factam arbitra-

arbitraretur, ſenum pedibus advolutus, obſecrat eos, ut ederent, quinam eſſent. Illi ſe Chaldaicæ ſectæ non alienos eſſe reſpondent: & mox à cœna digreſſi, virginem ſecum abducunt, amictum, in quo ſacris, ſtudiiſque initiata fuerat, in manus tradunt, cum libris, & arca, in quam redditus totius quinquennii contulerunt, jubentque cum lacrymis, ut perluſtret ea: ſibi enim ad Occidentis ultimum ſinum proficiſcendum, mox reverſuris. Egreſſi manè, nullibi poſteà comparuere. Pater ergo genios illos eſſe ſibi perſuadens, filiam tanquam divino afflatam numine ad ſuum arbitrium vivere permiſit. Illa nullis aliis uſa magiſtris, poetarum, philoſophorum, oratorum ſcripta omnia & intelligebat, & memoriter tenebat, & interpretabatur. Divinationis peritiſſima, Euſtathii Cappadocis Philoſophi clariſſ. matrimonium amplexa, ternos ex eo liberos ſuſtulit. Ab ejus morte Pergamum regreſſa, Ædeſio familiariter uſa, & Maximo, qui illam tanquam numen venerabantur. Non multò pòſt humanis exempta eſt. *Eunapius in vita Attici.*

B. Catharina virgo, Coſti Alexandriæ principis filia, ſacris literis partim ſtudio, partim divini ſpiritus afflatu adeò fuit imbuta, ut accerſitos à patre undecumque doctiſſimos viros, & Philoſophos ad perſuadendam idololatriam, refellendam unius Dei religionem, vivaciſſimis terruerit argumentis, & in ſuam opinionem pertraxerit. *Tom.3. Surii.*

Alpaides virgo, cùm religionem magno cultu amplecteretur, cœlitùs meruit Scripturæ ſacræ, Bibliorumque ſenſum percipere. *Raviſius.*

Anastasia, diſcipula Chryſogoni martyris, & uxor Publii Romani, cujus thorum ſimulato morbo evitavit. Scripſit epiſtolas ad Chryſogonum, quibus conquerebatur, facultates ſuas à ſacrilego viro abſumi, ſeque in carcere detineri. Hæc ad palum cremata eſt, quòd Sanctis miniſtraret. *Volat.*

Hedibia, nata rhetore Paterio, per Apodemium Bethleemam miſſum propoſuit D. Hieronymo duodecim quæſtiones ex aliquot ſanctarum Scripturarum locis: ad quas reſpondet ipſe tomo quarto. Eadem rurſus cum Algaſia quæſtiones ei alias miſit explicandas. Habitavit utraque in extremis Galliarum finibus.

Amalasuenta (vulgò Amalaſunta, at lingua Gothorum Suenta juvenculam, & Suen Adoleſcentulum ſignificat, quaſi juvencula ex Amalorum familia nata) patri Theoderico in Italiæ regno cum filio ſuo Atalarico ſeptemni, quem ex Euthario Gotho ſuſceperat, ſucceſſit. Hanc, uti Caſſiodorus refert, nemo ſine veneratione videre potuit, audire loquentem fuit miraculum: Græcis, Latiniſque literis egregiè imbuta omnium gentium, nationumque, quibus cum Romano imperio aliqua eſſet conſuetudo, linguas exactiſſimè norat tantæ gravitatis, ac prudentiæ, ut cùm improbos acriùs increparet, nihil illi ſibi, quod acerbum eſſet, illatum & dicerent, & ſentirent. Atalaricum F. quamvis multùm repugnantibus Gothorum proceribus, diſciplina Rom. inſtituendum curavit, ejuſque ætatem ſic moderata eſt, ut avi Theoderici virtutes præclarè imitaretur. Eo mortuo, ut ſuæ orbitati, & publicæ Gothorum ſaluti conſuleret, Theodatum conſobrinum, qui ſolus ex Theoderici ſanguine reſtabat, in maritum, & regni conſortium aſſumpſit, futurum credens, ut quem pater Theodericus vivens multis, magniſque beneficiis affecerat: in nullo prorſus ab avitis, vel paternis moribus degeneraret. Erat enim literis Græcis, Latiniſque liberaliter eruditus, & Philoſophus inſignis, cętera ignavus, & avarus. Sed homo nefarius, & ingratiſſimus eam aliquantò pòſt in lacus Vulſinenſis inſulam relegavit, utque atrox facinus atrociore cumularet, crudeliſſimis viris, quorum ipſa propinquos olim ob Atalarici filii corruptionem occidi fecerat, necandam obiecit. *Joan. Magnus lib.*10.

Hylda Scota, Eduvini Northumbrorum regis neptis, diſcipula Paulini, & Adami, Pharenſe cœnobium propriis ſumptibus extruxit, mulier in ſacris literis probè inſtituta, diſſenſione inter doctores de cæremoniis Romanis, ut de Paſchate, tonſura, & unctionibus, cupiens componi effecit, ut in ſuo cœnobio fieret Synodus circa annum Domini 664. Scripſit pro veterum rituum obſervatione librum unum: & Medit. piarum lib.1. & varias epiſtolas ad viros eruditos. Obiit anno Domini 685. *Beda lib.3.cap.25.& lib.4.cap.33.*

Rosvida, in Germania apud Saxones orta eſt, Lothario I. regnante. Hæc ſanctimonialis Ganderſeimenſis fuit, in diœceſi Hildeſemenſi, Græcè, & Latinè, omniumque bonarum artium peritiſſima. Permulta non ſine magna commendatione ſcripſit, præſertim ad monachas ſuas, dum ad divinum cultum, atque virtutem hortaretur. Sex quoque comœdias edidit. Prætereà carmen hexametrum inſigne, de Othonum Cæſarum rebus geſtis: item ſanctarum feminarum, atque in primis Virginis Matris vitam, laudeſque perſcripſit elegiaco carmine, quod incipit, Unica ſpes mundi. *Crant.l.6.c.20.Metrop. Fulgoſ.l.8.c.3.& Egnat.l.8.c.3.*

Rosuidæ diſciplinam, atque ſtudia Eliſabetha Schonaugiæ Abbatiſſa apud Treviros ſecuta: Latinè permulta, quæ divinitùs monita eſt, item ſuaſorias orationes ad conventus ſui ſorores atque ad illos egregiè conſcripſit: opus etiam de Viis, quibus ad Deum acceditur, ac ſimul eruditiſſimarum Epiſtolarum volumen. *Fulg.l.8.c.3.& Egnat.eodem.*

Genebria Veronenſis, tempore Pii II. Pontificis Romani, ſua eruditione meruit nomen immortale. Epiſtolas ſcripſit luculentas. Recitabat decoro geſtu, voce virili, permixta ſuavitate. *Raviſius.*

Constantia Alexandri Sfortiæ uxor, excellens doctrina, ab infantia bonis diſciplinis operam dedit, adeò ut imparata quoque diſertiſſimè loqueretur. Habebat aſſiduè præ manibus opera Hieronymi, Ambroſii, Gregorii, Ciceronis, & Lactantii. Valebat etiam ſcribendis extempore carminibus non ſine magna multorum admiratione: quod ſine præceptore ferebatur didiciſſe. Habuit filiam Baptiſtam nomine, tanta doctrina, ut doctiſſimos quoſque ſua terreret eloquentia. *Idem.*

Victoria Columna Franciſci Ferdinandi de Avalo, Marchionis Piſcariæ, Caroli V. Imper. bellici ducis conjux, marito defuncto, corporis, animique bonis inſtructiſſima fœmina, quanquàm integra ætate eſſet, perpetuò tamen ſibi ultrò indixit viduitatem, quòdque vitæ ſupererat, ſacris literis, & cæleſti ſummo bono meditando dicavit. Hetruſco carmine nulli poſt Petrarcham ſecunda. Varia poemata edidit, quibus mariti præmaturum obitum deflevit, ac mortalium rerum amorem irridens, cœleſtium bonorum deſiderium expreſſit. *Joan. Matthæus Toſcanus Mediolanenſis in Peplo Italiæ.*

Hippolita, filia Franciſci Sfortiæ Mediolanenſis principis, & Blanchæ Philippi filiæ, juniori Alfonſo Aragonio deſponſata, Mantuæ Pium II. Pontificem eleganti oratione Latina ſalutavit, Galeacio fratre orationem ejus excipiente. *Campanus in Pii vita.*

Baptista, prima Galeacii Malateſtæ Piſaurenſis principis filia, & Guidoni Montefeltrenſi Urbinatium comiti matrimonio conjuncta, cum doctiſſimis viris ſæpe non ſine laude diſputavit: & Latinè de humana fragilitate, atque de vera religione luculentos libros edidit. *Fulg. lib.8.c.3.& Egn. eodem.*

* Fuit tempore Henrici Imper. & Eugenii Pontificis, Hildegardis Abbatiſſa Cœnobii montis S. Roberti, apud Naam fluvium, tam generis, quàm eruditionis gloria nobilis virgo. Cujus ſanctitatem crebra, quæ per illius interceſſionem miracula Deus patravit, teſtatam faciunt: doctrinam verò edita monumenta, & clariſſimorum toto orbe Epiſcoporum ad eam literæ loquuntur. Extant nonnulla ipſius opuſcula, & reſponſa ad quæſtiones difficiles de rebus ſacris, impreſſa Coloniæ apud hæredes Joannis Quentel, anno 1571. Atque inter alia, habes expoſitionem Regulæ S. Benedicti, & ſymboli B. Athanaſii: varias inſuper epiſtolas ad Clerum Moguntinum, Colonienſem, & Trevirenſem. Quibus omnibus acceſſit vita ejuſdem tribus libris comprehenſa, ex actis iſtius Cœnobii ex fide tranſcripta. Extat exemplar ſupra memoratum in Bibliotheca Laur. Beyerlinck Antuerpiæ.

Isota Novarula, Veronenſis, cùm philoſophiæ ſtudia non verbo tantùm, verùm reipſa quoque profiteretur, literarum ſtudiis, ac perpetuæ virginitati ſe dicavit. Orationes permultas ad Nicolaum V. & Pium II. Pp. ſcripſit: dialogum confecit, in quo diſputatur, qui priùs, ac ſuaviùs, Adamne, an Eva peccaverit. *Fulg.l.8.c.3.Egnat.eodem.*

Cassandra Fidelis Veneta, non ſolùm ad lyram commodiſſimè concinebat Latinos verſus, quos ipſa magna eruditione compoſuerat, verùmetiam Patavii in Academia diſputando ingentem laudem meruit, cùm omnibus in omni doctrinarum genere appoſitè reſponderet: & ut clarius eruditionis ſuæ documentum præberet, de ordine ſcientiarum librum edidit. *Fulg. lib.8.c.3.& Egnat.lib.8.c.3.* Politianus eam magnis laudibus commendat, quòd pro lana librum, pro fuſo calamum, ſtylum pro acu tractarit, Latinaſque Epiſtolas ſcripſerit. Sic enim de ea principio cujuſdam epiſtolæ meminit: *Ô decus Italiæ virgo, quas dicere grates, Quaſve referre parem*, quod etiam honore me tuarum literarum non dedignaris.

Hippolyta Taurella Mantuana, Balthaſſaris Caſtilonii viri doctiſſimi, & apud Leonem X. Pontif. oratoris, uxor, in poeſi excelluit. Primos juventæ annos vix ingreſſa, obiit anno Chriſti 1525. in dubio relinquens, pulchrior, caſtior, an doctior fuerit.

Thomas Morus filias ſuas Margaritam, Eliſabetham, Cæciliam, atque earum conſanguineam Margaritam Gigiam, non contentus eſſe caſtiſſimas, etiam doctiſſimæ ut eſſent, curavit: ſic forè judicans, ut veriùs, firmiuſque eſſent caſtæ. *Lud. Vives de Chriſtiana fœm.l.1.*

Quatuor filias Iſabellæ reginæ Hiſpaniarum ætas noſtra vidit doctiſſimas, inquit, Vives. Joanna Philippi Auſtrii conjux Caroli V. mater, extempore Latinis orationibus, quæ de more apud novos principes oppidatim ſunt habitæ, Latinè reſpondit. Idem præſtitit ſoror Catharina, Henrici VIII. Angliæ regis uxor. Idem omnes de duabus aliis, quæ in Luſitania fato conceſſere, narrabant quibus quatuor ſororibus nullæ memoria hominum mulieres ſinceriore pudicitia, nullæ puriore, ac integriores fama, nullæ populis ſuis gratiores, atque amabiliores Reginæ extiterunt, nullæ magis amarunt conjuges ſuos, nullæ obſequentiùs eis paruerunt, nullæ accuratiùs ſe, ac ſuos omnes ſine labe conſervarunt, nullis magis fœditas, aut laſcivia diſplicuit, nullæ abſolutiùs, ac exactiùs numeros omnes probæ feminæ impleverunt. *Idem. ibid.*

Habuit quoque ætas noſtra Olympiam Fulviam Moratam Ful. Morati Mantuani, Annæ principis Ferrarienſis magiſtri, in literis filiam, Andreæ Grunthleri medici Germani uxorem, quæ multa doctè, & eleganter in utraque lingua ſcripſit, & tandem anno Chriſti 1555. menſe Octobri, ætatis ſuæ 29. Hidelbergæ obiit.

* Avenione in Gallia etiamnum ſupereſt, niſi à paucis menſibus naturæ debitum exolviſſet, religioſa virgo Juliana Morella, Ordinis S. Dominici, in monaſterio S. Praxedis profeſſa, à teneris inſtituta in cultioribus diſciplinis, quæ librorum ſacrorum lectione, Græcæ, Latinæ, ac Hebraicæ puritatis cognitionem, & uſum aſſecuta eſt. Cujus rei egregium documentum nuper præbuit, tractatum *B. Vincentii Ferrerii Ordinis ejuſdem, de vita ſpirituali*, non modò è Latino in Gallicum ſermonem transferendo, ſed eruditis inſuper ſcholiis, & notis illuſtrando, è quibus conſtat, eandem virginem ingenio perfacili eſſe, veterùmque Eccleſiæ Doctorum ſcripta ad amuſſim luſtraſſe, unde eam muliebris ſexus velut miraculum admiratur *Joannes Cladius* Sacræ Theologiæ Doctor, & Eccleſiæ S. Pauli Lugduni canonicus, & Eccleſiaſtes, in cenſura ad præfatum libellum ſcripta 7. Februarii anni 1617. Dictus libellus editus eſt Pariſiis anno 1619.

DOCTI PAUPERES.

☞ *Et quatenus hic Oceanus? noſtro præſertim ſeculo. Docti fortaſſis pauci: an pauciores doctorum admiratores. Sint Mecœnates, non deerunt, Flacce, Marones, inquit, ille. Conſule Tit. eorum, qui ſervitutem, & paupertatem ſapientiæ ſtudio ſuperarunt. Item Tit. Pauperum, & Servorum.*

Sibyntius, Theodectis Phaſelydæ anagoſtes, & famulus, primus ſervorum arti dicendi ſtudiit. Scripſit præcepta rhetorica. *Suidas.*

Diones Cynicus ob adulterium monetæ patria pulſus, omnium rerum inops, Athenas venit, ibique philoſophatus eſt. *Laertius.*

Evicterus Stoicus πενίῃ Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις, Paupertate Irus, ſed diis pietate probatus.

Apulejus in Platonis vita, inquit, cum in hortulo, qui Academiæ junctus fuit, & in duobus miniſtris, & in patera, qua diis ſupplicabat, reliquiſſe auri tantùm, quantum puer nobilitatis inſigne in auriculam geſtarit.

Ætius, cùm Conſtantini Magni temporibus aurificinam ob inopiam exercuiſſet, paulò pòſt ita ſeſe exercuit tum in aliis, tum præcipuè in medicinæ ſtudiis, ut inter hujus artis principes enumeretur. Ejus vitam deſcribit Eunapius. *Volat.l.13. Anthron.*

DOCTRINA JUNCTA BONO ALICUI, INTERNO, MECHANICO, PRACTICOVE.

Hujus ſunt loci.

DOCTI SIMUL, ET MECHANICI. EXCELLENTES.

☞ *Conſule Tit. Exercitationis numeroſæ, qui in theoricis ſolàm, & mechanicis ſeſe exercuere. Ex Mechanicarum artium Titulis non pauca huc transferre licebit.*

Socrates ſervivit primùm, & ſtatuarius fuit. Opus illius fuiſſe ajunt Gratias, quæ in arce ſpectantur veſtitæ. Poſteà Archelaum audivit, & Anaxagoram. *Laert.l.2.& Pauſ.in Bœot.*

Simon coriarius (ad cujus officinam Socrates perſæpe de philoſophia diſputabat) tanta Socratem diligentia audivit, atque ejus dicta excepit, ut quædam de eis volumina ediderit. *Laert.*

Aristoteles, abliguritis omnibus pecuniis, quę ex hæreditate parentis ad ipſum devenerant, in militiam profectus eſt. Deinde, cùm ſiniſtrè, maliſque avibus hoc ei procederet, pharmacopolam egit. Frequentans autem Peripatum, & audiens ſophiſtas, cùm natura multis eſſet præſtantiore, habitum ſibi comparavit, quem deinde in opus produxit. *Ælian.de var.hiſt.l.5.*

Pyrrho Elienſis, à quo Sceptici originem ſuam ſumpſerunt, pictor fuit. Elide in gymnaſio λαμπαδιστὰς ab eo non infeliciter pictos aſſervari tradunt. *Laert.l.9.*

Hippias Philoſophus Elæus, diſcipulus Hegeſidemi, non liberalium modò artium præ ſe ſcientiam tulit, ſed earum, quas Græci mechanicas vocant, ut & veſtem, & annulum, crepidaſque, & omnia, quæ ferebat, manu ſua faceret: qui ita ſe præparavit, ne cujuſvis ope egeret. *Cicero. Volat.lib.16. Anthrop. Quint.l.12.Inſtit.orat.& Fulg.l.8.c.7.*

Euripides tragicorum princeps, pictor egregius fuit, adeò ut Megarenſes pictas tabellas illius oſtendere ſoliti fuerint. Sed tandem Anaxagoram Clazomenium ſecutus eſt, & cum Platone in Ægyptum navigavit: poſt reditum, ad palmam tragœdiæ ſeſe convertit. *Gyraldus dial.hiſt.Poet.& Suidas.*

Gloriantur Athenæ armamentario ſuo, nec ſine cauſa; eſt enim illud opus & impenſa, & elegantia viſendum; cujus architectum Philonem ita facundè rationem inſtitutionis ſuæ in theatro reddidiſſe conſtat, ut diſertiſſimus populus non minorem laudem eloquentiæ ejus, quàm arti tribueret. *Val.Max. lib.8.cap.13.*

Thalem memorant mercaturis faciendis opem dediſſe: Hippocratem quoque mathematicum: Platoni item occaſionem fuiſſe peregrinationis olei in Ægypto diſtractionem. *Plut. in Solone.*

Metrodorus Carneadis auditor, philoſophus, & pictor inſignis, præceptor filiorum L. Æmilii Pauli. *Idem.in Æmil.*

Cùm Zenon Cittius diſſereret, Sapientem omnia rectè facere, quidam irridens obiecit: Igitur & lenticulam rectè coquet: Zenon annuit, & collectionem probavit. *Laert.* Hinc *Timon Phliaſius apud Athen.l.14.* καὶ Ζηνώνειον γιφακλῶν ἑψεῖν: id eſt, Zenonis eſt lentem coquere.

Antagoras Rhodius, qui in expeditione cum Antigono rege Macedoniæ Thebaida ſcripſit, militibus etiam congros coxit. Ideòque rogatus ab Antigono, an & Homerus, cùm Agamemnonis res geſtas deſcriberet, ſimul congros coxiſſet? Reſpondit: Tunc rex, putas, cùm tantas res ageret Agamemnon, adeò curioſum fuiſſe, ut ſcire vellet: an in exercitu quiſquam congrum coqueret?

Cleantem rex Antigonus, cùm eum longo intervallo vidiſſet Athenis, rogavit: Molis adhuc, Cleanthe? Molo, inquit, rex, quod facio, quò victum quæram ſolùm, nec deſiſtam philoſophari. O ingentes hujus viri ſpiritus: qui ex piſtrino, & mactra manu piſtoria, & molendinaria, de diis, luna, ſideribus, & ſole ſcripſit. *Plut. de non fęnerando.*

Aristomenes Athenienſis comicus, ex iis, qui neutiquam comœdiam ſecuti ſunt, belli Peloponneſiaci tempore, Olympiade LXXXVII. cognomento Thyropœus, id eſt, januarum factor, vel τυροποιός caſeorum factor. *Suidas.*

Plautus Comicus, cum pecuniam omnem, quam in operis artificum ſcenicorum pepererat, in mercationibus amiſiſſet, inops Romam rediit: & victus quærendi cauſa ad circumagendas molas truſatiles, piſtori operam locavit. Neque tamen ingenium illius priſtinum domare potuit, quin ibi Saturionem, Aditum, & tertiam quandam Comędias elegantiſſimas ſcriberet. *Gellius lib.3.c.3. Noct. Att. ex M. Varrone.*

M. Pacuvius tragicus præclarus, Ennii ſorore genitus, Romæ quandiù vixit, picturam exercuit. Ædem Herculis in foro Boario pinxit: & propter Pacuvium picturæ ars clarior facta eſt Romæ, gloria ſcenæ. *Plin.l.35.c.4.*

Ætius Antiochenus, aurifaber primò, eaque arte ſe tandiù ſuſtentavit, donec in literarum ſtudiis clariſſimus evaſit. Dialecticus, Rhetor, Medicus etiam, Gallo Cæſari familiaris.

Tandem in Arianiſmum lapſus, diſcipulos ex ſe Ætianos ap-
A pellari fecit. *Socrates, & Sozomenus.*

DUNSTANUS Londinenſis Epiſcopus doctiſſ. arte etiam fundendi, & cælandi excelluit. *Polyd. Vergilius lib.8. & Bulæus Cent.2. Scriptorum Britanniæ, c.38.*

JOSEPHUS Cumia Catinenſis Siculus, commentarium juſtum in conſtitutionem Siculam de ſucceſſione feudalium perdoctè à ſe ſcriptum, propriis quoque manibus ſolo Alexandro filio impubere, itemque ſervo, & ancilla juvantibus, quod typhographorum opera deſtitueretur, in melle formis excudit. Ita ipſe refert in præfatione operis Catinæ 1563. editi.

DOCTI SIMUL, ET POLITICI, Oeconomive boni. Huc pertinent.

PHILOSOPHI, LEGISLATORES. Magiſtratus. Conſiliarii.

☞ *Vide Tit. Doctorum Principum.*

B ZELEUCUS Locrenſium, Charondas Catanenſium primò, deinde exul Rheginenſium, Architas Tarentinorum ſepties, Solon Athenienſium, Lucurgus, & Chilon Lacedæmoniorum, Bias, & Thales Jonum, Pittacus Mitylenorum, Cleobulus Rhodiorum, legislator. Anaximander coloniam è Mileto Apolloniam deduxit.

CARNEADES, & CRITOLAUS, Philoſophi, & Rheto res ſummi, ab Athenienſibus legati Romam ſunt miſſi, & Senatum quamvis nolentem in ſententiam ſuam pertraxerunt. *Ælianus lib.3. var. hiſt.*

PLATO inter Dionyſium tyrannum, & Dionem ſeſe interpoſuit medium, pacis cauſa. Speuſippus ejuſdem nepos, Athenienſes ad auxilium Dioni ferendum accendit, & priùs Speuſippi conſilio, quàm Dionis armis tyrannus everſus eſt. *Plut. in Dione.*

MENEDEMUS Eretrienſis Philoſophus, remp. Eretrienſem ſumma cum laude adminiſtravit, poſtquam cives illius eruditionem (quem priùs tamen ut canem irriſerant) perſpexiſſent. *Laert. l.6.*

Adminiſtravit decem annis rem Athenienſem Demetrius Phalereus, Caſſandri Macedoniæ regis permiſſu, homo in
C Peripatetica diſciplina clarus. Nulla unquam civitas majores cuiquam honores tribuit: trecentæ æneæ ſtatuæ, atque earum equeſtres plurimæ, ab Athenienſibus illi erectæ dicuntur. Id gratiæ, an fortunæ ſit datum, haud facilè dixerim. Satis conſtat, civitatem ab eo vectigalibus, & ædificiis magnificè, & utiliter auctam. Is portu Demetriana claſſe occupato, quia Athenienſes apertè ad defectionem ſpectabant, cum hoſte egit, ut liceret ſibi Thebas cum amicis, & domeſticis proficiſci. Id non ſolùm non eſt à Demetrio Antigoni F. ei negatum, ſed data etiam ab eo opera, ut incolumis, cum quibus vellet, in tuto ſtatueretur: poſt cujus digreſſum Athenienſes, omnes ejus ſtatuas everterunt, præter unam, quæ in arce fuit. Ipſe de ſtatuarum everſione factus certior, dixiſſe fertur: At illi virtutem evertere non potuerunt. Poſt Caſſandri interitum, in Ægyptum navigavit, ibique apud Ptolemæum Soterem diù verſatus, aſpidis morſu ictus, obdormiſcenti ſimilis obiit. Joſephus Philadelphum ejus opera in bibliotheca Alexandriæ conſtituenda præcipuè uſum affirmat. *Sabell. lib.1. Enn.4. ex*
D *Laert. lib.5.*

ATHENODORUS Tarſenſis Stoicus, Sandonis filius, Auguſti Cæſaris præceptor fuit. Senior in patriam reverſus, malam reip. gubernationem ſuſtulit, dum civitas à Boetho quodam malo poeta perperam tractaretur. *Strab. l.14.*

ATHENÆUS SELEUCIUS philoſophus peripateticus, ad rempublicam verſus, aliquandiù in patria populo præfuit: Poſteà contracta cum Murena amicitia, & cum illo fugiens, captus eſt: inſidiarum contra Cæſarem Auguſtum reus. Sed cum inſons eſſet inventus, à Cæſare dimiſſus, rediens Romam, multis eum ſalutantibus, illud Euripidis reſpondit:

Ἥκω, νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Λιπών.
Advenio ab imis, atque cæcis inferorum
Tenebris.

Breve tempus ſupervixit, à ruina domus, ubi habitabat, per noctem oppreſſus. *Strab. l.14.*

ALEXANDER Oneſicritum Diogenis Cynici diſcipulum gubernatoribus præfecit, ut eſt à compluribus memoriæ proditum. *Plut. orat.1. de Alex. fortuna.*

ARCHYTAS Tarentinus, Heſtiæi filius, aut Mneſarchi, aut Manſagoræ, Pythagoreus, præfuit reip. dictator creatus à ci- E vibus, & circumvicinis Grecis, ſimulque philoſophiam docuit, & celebres multos diſcipulos habuit, ac multos libros ſcripſit. *Suidas.*

ECDEMUS, & DEMOPHANES Megalopolitani (quos Pauſanias in Arcadicis, & Plutarchus in Arato vocat Ecdelum, & Megalophanem) familiares Archelai in Academia, ſummiſſis Ariſtodemo percuſſoribus, patriam ſuam liberarunt tyrannide, & ad Sicyonium tyrannum expellendum Nicoclem, præſto fuerunt Arato Sicyonio: petentibuſque Cyrenæis mare trajecerunt, ac Rempublicam eorum concuſſam ſeditionibus, & affectam compoſuerunt, concinnaveruntque decentiſſimè. Hi Philopœmenem quoque ad communem Græciæ ſalutem præceptis excoluere philoſophiæ. *Plut. in Philop.*

METHRODORUS SCEPSIUS, lepidæ vir facundiæ, & variæ eruditionis, clarum conjugium apud Carthaginenſes conſecutus, in eum gradum provectus eſt amicitiæ, ut parens regis Mithridatis diceretur, & reddendo juri præponeretur: à quo non erat ad regem provocatio. Hunc Tigranes legatum ad ſe à Mithridate miſſum ad petendum contra Romanos ſubſidium rogavit: Tu verò quid mihi hìc, Metro- F dore, ſuades? Ille ſive ad id, quod Tigrani expediret, ſive quod ſalvum nollet Mithridatem: Ut legatus, inquit, conſulo: ut conſiliarius deterreo. Id aperuit, & renuntiavit Tigranes Mithridati, nihil eum arbitratus de Metrodoro graviùs conſulturum. At ille hunc interfecit protinus. Cadaver hujus funeravit Tigranes ſplendidè: neque ullæ magnificentiæ pepercit in mortuum, quem vivum prodiderat. *Plut. in Lucul. Strab. lib.13.* in itinere mortuum ſcribit, ſive regis opera, ſive morbo.

LEO Byſantius diſcipulus Platonis, aut Ariſtotelis ſcripſit varia. Legatus Athenas miſſus, cùm admodùm obeſus eſſet, Athenienſibus riſum movit. Quo nihil turbatus, legationem peragens: Quid, inquit, ridetis Athenienſes? Eſt mihi uxor longè obeſior. At concordes nos lectulus unus capit, diſſentientes nec tota domus. Hoc opportuno dicto effecit, ut conſentiret populus Athenienſis. Idem cùm Philippum Byzantio repelleret, ab illo talibus literis eſt perſtrictus: Si tantam Leoni pecuniam largiter, quantam à me poſtulavit, primo impetu Byzantium cepiſſem. Quibus auditis, populus cùm ad Leonis ædes concurriſſet, veritus ille, ne lapidibus obrueretur, ſe ſuſpendit miſer, nullo fructu ſuæ ſapientiæ, & elo- G quentiæ percepto. *Suidas.*

CATO Cenſorius in omnibus rebus ſingulari fuit prudentia, & induſtria: nam & agricola ſolers, & Reip. peritus Juriſconſultus, & magnus Imp. & probabilis Orator. & cupidiſſimus literarum fuit. Quarum ſtudium etſi ſenior arripuerat, tamen tantùm progreſſum fecit, ut non facilè reperire poſſis, neque de Græcis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adoleſcentia confecit orationes: ſenex hiſtorias ſcribere inſtituit, quarum ſunt libri ſeptem. Primus continet res geſtas regum populi Romani. Secundus, & tertius, unde quæque civitas orta ſit Italica: ob quam rem omnes, Origines videtur appellaſſe, *Probus in ejus vita.*

CICERO creatus Romæ verbo conſul, ſed accepta ſoluta, & dictatoria poteſtate contra Catilinæ gregales, comprobavit Pratonis vaticinium: magis civitates explicatum iri, ubi magna potentia, & ſapientia coiſſent ſecunda fortuna cum juſtitia. *Plut. in vitis.*

THEMISTIUS philoſophus, conſul Conſtantinopolitanus factus ſub Valentiniano, & Valente. in quem ſic *Palladas in 2.* H *Epigram.*

Αἴτογος ὠκανίης ὑπερήμενος, ἐς πόθον ἦλθες
αἴτογος ἀργυρέης, αἶχος ἀπειρέτιον.
ἦσθα κάτω κρείσσων· ἀναβὰς δ' ἐγένευ μέγα χεῖρον.
δεῦρ' ἀναβάθι κάτω. νῦν γὰρ ἄνω κατέβης.

Suidas verò ſub Juliano præfectum Conſtanſtinopolis deſignatum ſcribit.

LIBANIUS ſophiſta Antiochenus, præfectura palatii Conſtanſtinopoli ornatus (par enim erat adminiſtrandæ Reip. & cauſis civilibus) accipere noluit: Sophiſtam præfecto majorem eſſe inquiens. *Evnapius in ejus vita.*

PLUTARCHUS Chæronenſis Philoſophus, Illyrico præfectus à Trajano. Sextus quinetiam ejus nepos, Pyrrhonius philoſophus, cum M. Antonio jus dicebat. Tanta illi prudentiæ, & juſtitiæ inerat opinio. *Suidas.*

PAULUS Florus, qui hexametris requeſtas Juſtiniani proſecutus eſt, primatum geſſit apud Imperatorem Juſtinianum, multaque poemata laude digna conſcripſit. Sed miro labore, & arte

& arte ſingulari de templo Sophiæ, quod inſigni terræmotu
A vaſtabatur, & ab Imperatore reparabatur, carmen edidit, quo omnes nervos intendit, ut graphicè deſcriberet. *Cuſpinianus. A.D.*

Sub Carolo V. Francorum rege, Nicolaus Oreſmus, homo doctus, cujus conſilia, & monitus rex in primis ſequebatur, ex Latino Ariſtotelis, & Ciceronis, aliorumque auctorum permultos libros traduxit. *Auctor Chronici Francorum.*

ALBERTUS Magnus, philoſophus doctiſſ. Epiſcopatum Ratiſponenſem conſecutus, æs alienum ſuperiorum Pontificum luxu contractum, brevi diſſoluit, parſimonia loco ampliſſimi vectigalis uſus. *Hier. Ziegl. de Viris illuſtr. Ger.*

Philoſophi bellica arte clari.

☞ *Ex Tit. Duces fortes, huc quædam.*

PALAMEDES Nauplii, & Climenes Agamemnonis ſororis filius, Argivus poeta, & philoſophus, πάν σοφος dictus, poemata multa ſcripſit: quæ vel Agamemnonis poſterorum, vel ipſius Homeri invidia perierunt. Literas invenit Ξ (alii ta-
B men ΖΘΦΧ) & Υ ex gruum volatu: item latrunculos, teſſeras, pondera, & menſuras, pecunias, numeros, horas, annum, & menſes. *Suidas.* Sapientia omnibus ſuperior. Summæ abſtinentiæ. Mortuus, pro Deo cultus eſt, ſacellumque ei cum ſimulacro apud Lapetymnum montem ſupra Lesbum, poſitum. *Gyraldus.*

ARCHYTAS Pythagoreus dux ſexies electus eſt à Tarentinis.

TYRTÆUS Athenienſis poeta, Lacedæmoniis dux datus per ludibrium ab Athenienſibus adversùs Meſſenios: cùm neque ſatis mente valere crederetur, alteroque claudicaret pede. *Pauſ. in Meſſenicis.*

THALES Mileſius philoſophus, cùm Mileſiorum ſocietatem Crœſus expeteret, obſtitit ille, quæ res poſteà Mileſiis ſalutem peperit apud Cyrum, qui Crœſo devicto, in ſocios regis graſſabatur. *Laert. in ejus vita.*

BIAS, cùm Pryene patria ipſius ab Halyatte rege obſideretur, duos mulos ſaginatos, probèque curatos, in caſtra regis agi curavit. Quorum habitu rex territus, de expugnatione vrbis deſperans, obſidionem ſolvit. Mulis per exploratorem in urbem remiſſis, Bias etiam ingentes are-
C næ cumulos tritico deſuper opertos oſtendit. *Laert. in ejus vita, & Suidas.*

MELISSUS, Ithagenis F. Samius, Parmenidis auditor, graviſſimus philoſophus, præfectus claſſis Samiorum, magna fortitudinis ſuæ documenta dedit contra Periclem. *Laert. l.9. & Plut. in Themiſt. & Pericle.*

EPAMINONDAS Thebas, Ariſtides, Phocion, & Themiſtocles, viri doctiſſimi, Athenas ſæpe opera ſua erexerunt. *Ælian. l.1. Variæ hiſtoriæ.*

Ter Socratem militaſſe ſcriptum reliquit Plato: in Potidæam ſcilicet, in Amphipolim, ac in Bœotos, quando ad Delium pugna fuit commiſſa. Reliquis effusè fugientibus, ipſe pedetentim recedebat, ſolo aſpectu hoſtes terrens, at Platonem mendacii coarguere nititur *Athen. l.5. c.12.* Philoſopho ſcilicet iniquior Sophiſta.

XENOPHON Grylli filius, Socratis auditor, & Thucydides, qui res ſuas geſtas ipſimet deſcripſerunt, exercitibus cum laude præfuerunt. Xenophon certè optimus dux judicatus eſt inter eos, qui unà cum Cyro aſcenderunt. *Suidas.*

D PLATO in oppugnatione Tanagræ, & Corinthi militavit.

EUPOLIS Soſipolis filius, Athenienſis comicus. Naufragio periit in Helleſponto, bello Laconico. Unde edictum eſt poſteà, ne quis poeta militaret. *Suidas.*

De Ariſtotele Epicurus hæc dixit, in epiſtola de Studiis, quòd patrimonio abſumpto ad militiam acceſſerit, poſteà ad vendenda pharmaca converſus ſit, hinc ad philoſophiam. Hęc ſolus Epicurus contra ipſum dicere auſus eſt, quæ neque Eubulides, nec Cephiſodorus auſi ſunt, quamvis commentaria contra eum ediderint. *Athen. l.8. c.8.*

LESCHIDES primùm miles ſub Eumene ſtipendia fecit, mox verſibus operam dedit, & multa à Græcis celebrata compoſuit. *Gyraldus in hiſt. poet.*

DION Syracuſanus, inter Platonis diſcipulos facilè princeps, Dionyſium juniorem, octingentis militibus mercenariis è Zacytho ſolvens, Syracuſis, & Siciliæ dominio exuit, patriamque in libertatem reſtituit. *Plut. in Dione.*

ARCHILOCHUS Parius primùm de militari præſtantia gloriabatur, ſecundo loco de poetica, inquiens:

Martis me ſervum capiunt Mavortia caſtra:
E *Sunt quoque Muſarum munera nota mihi.*

Similiter Æſchylus, cum multum gloriæ, ac ſplendoris ob poeticam conſecutus eſſet, nihilominus voluit, ut in tumulo ſuos inſcriberetur ſtrenuitas potiùs:

Indomitum robur referat Marathonia tellus,
Crinitus Medus dextera qualis erat.

Athen. lib.4. c.11.

DICTYS Cretenſis ſub Idomeneo militavit, & bellum Trojanum idiomate Græco literis Phœniceis deſcripſit. *Suidas.*

PERSEUS philoſophus ab Antigono præfectus fuerat impoſitus Acrocorintho. Quam dum Aratus Sicyonius oppugnat, evaſit Cenchreas. Hic pòſt perhibetur inter diſputandum dicenti, Solùm videri ſibi ſapientem eſſe ducem, reſpondiſſe: At me hercule id mihi quoque ex Zenonis præceptis quondam imprimis placuit. Nunc mutavi ſententiam, ab juvenes Sicyonio correctus. *Plut. in Arato.*

ONESICRITUS Philoſophus ex Diogenis Cynici contubernio Alexandri expeditionum comes, & ab eo legatus ad Calanum Gymnoſophiſtam miſſus, tandem quoque magiſter gubernatorum claſſis creatus. *Plut. in Alex.*

M. CATO talis erat, ut ſi arma ſumpſiſſet, natum in armis crederes: ſi ſe ad ſtudia convertiſſet, inter literas educa- F tum. *Plut.*

ANTIOCHUS transfuga, natione Cilix, principio Cynicam ſectam præ ſe ferens, ea re militibus plurimùm in bello profuit. Nam eos magno gelu afflictos confirmabat, in nivem ſe abiiciens, ibique volutans. Unde & opes, & honores Severo, & Antonino eſt conſecutus. Mox cum Tiridate ſe conjunxit, atque ad Parthos transfugit. *Suidas.*

M. Brutus, ut rempub. Rom. dominatu unius liberaret, C. Jul. Cæſarem interficere non dubitavit: & Philippis contra M. Antonium, & Octavium magna cum laude pugnavit. Doctrina, & philoſophiæ præceptis mores ita temperaverat, ingeniumque ſolidum, & lene excitaverat negotiorum motu ad virtutem decentiſſimè, ut qui ei conjurationis in Cæſarem cauſa infeſti fuere, ſi quid eſſet geſtum præclarè aſcripſerint Bruto, atrociſſima quæque Caſſio Epicureo philoſopho. *Plut. in Bruto.*

FL. JOSEPHUS è ſacerdotali genere oriundus, Toparcha & archiſtrategus utriuſque Galilææ, à Romanis captus, Veſpaſiano utrique, deinde etiam Domitiano chariſſimus, & hiſtoricus doctiſſ. & celeberrimus, Antiquitates Judaicas, & bellum Judaicum ſcripſit.

MISITHEUS, vir doctiſſimus, ac eloquentiſſimus, quem G Gordianus Imp. filia ejus Tranquillina ducta, præfectum prætorii fecit, prudentia ſua bellum Perſicum confecit, & multas vrbes expugnavit, admiranda ſapientia exercitum rexit, ut milites eum & timerent, & amarent. Semper militum arma inſpexit, caſtra foſſa munivit, vigilans obivit. Eo ſublato, ſtatim Argunthis rex Scytharum Rom. provincias infeſtare cœpit. *Cuſp. A.D.*

SIMEON LABAS, ex philoſopho monachus, ex monacho miles, & bellator, & mox dux Bulgarorum creatus eſt. Hic occaſionem contra Romanos quærens, mercatores ipſorum vectigalibus injuſtis premebat. Leo. V. Imp. miſit exercitum contra ipſum. Simeon victor nares omnibus mutilavit, & mutilatos Byzantium remiſit. His injuriis laceſſitus Imperator donis multis effecit, ut Turcę, qui ad Iſtrum erant, quique Ugri vocantur, contra Bulgaros arma ſumerent. *Cuſp. A.D.*

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS, vir eloquentiſſ. corpus multis, magniſque laboribus ad omnem patientiam ineunte ætate firmavit, mileſque Neapolitano bello, cum Ludovico XII. Gallorum rege, in Italiam venit, etſi à robore militari multum ab- H eſſet, corpuſque decorum magis habere, quàm robuſtum, videretur. *Auctor vitæ.*

DOCTRINA JUNCTA MALO ALICUI Ethico, Mechanicove. Huc Pertinent Philoſophi, Viri docti

INEPTI AD POLITIAM. VEL OECONOMIAM.

☞ *Hoc nomine potiſſimùm viri docti ab imperita plebecula accuſantur, quòd ad civiles functiones inepti ſint. Hinc illud,* μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός, *& Gorgias apud Platonem ſeverè reprehendit Socratem, quòd nimio philoſophiæ ſtudio negligat forenſem rhetoricam: qua deſtitutus, aliquando ſit extremè periclitaturus. Ariſt. 6. Thaletem, & reliquos ſapientiæ nomine celebres olim,* σοφοὺς μὲν, ἀλλ' ἄφρονίμους, *vulgò cen-*